J. J. Svaningius
(J. J. Wandal.)
Exercitatio theologica
quatuor oraculorum.


Hafn., 1648.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

1,– 161 b)

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 011546

+ REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

EXERCITATIO THEOLOGICA

QVATUOR ORACULORUM.

E Divinâ Scripturâ Veteris Noviq; Fœderis depromptorum

Succinctam explicationem continens,

Quam

Iuſſu ſuperiorum,

SUB PRÆSIDIO

Viri Admodùm Reverendi & Clariſſimi,

D. JOHANNIS JOH. SVANINGII,

S.S. Theologiæ Doctoris, ejusdemq; in Regiâ Hafnienſi Academiâ Profeſſoris P. digniſſimi,

Præceptoris ſui perpetuâ obſervantiâ colendi,

Publicæ diſqviſitioni modeſtè ſubjicit

JOHANNES JOH. WANDALINUS,

Ad VII. Calend. Febr. Anni cIↃ IↃcXLVIII.

In Collegio ſuperiori, horis conſvetis.

1479

HAFNIÆ

Literis Martzanianis.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

Perilluſtrem & Generoſiſſimum
Heroem

Dn. CHRISTIANUM THOMÆUM SEHESTED,

Dominum de Stovgard/Eqvitem Auratum, Regni Daniæ Senatorem Ampliſsimum, & Sereniſsimi Regis CHRISTIANI IV. Cancellarium Magnum, Mecœnatem ac Patronum ſuum incomparabilem,

Qvalemqvalem hanc Exercitationem, ſuo nomini inſcriptam, ſerenâ fronte benignoq; vultu ut excipiat, Autoriſq; in poſterum conatus favore ſuo ac patrocinio dignetur,

Submiſsè orat & obteſtatur

Humillimus Magnificentiæ ipſius Cliens

JOHANNES WANDALINUS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

DET
DA 1
110

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

NIhil in totâ hâc rerum univerſitate eſſe, in qvo honeſtiùs, jucundiùs ac fructuoſiùs humana induſtria occupari poteſt aut debet, qvàm in τοῖς τοῦ Θεοῦ λογίοις devotè ac ſedulò penſitandis, neminem in dubium vocatum ire confido, niſi qvi cum pietate pudorem ſe exuiſſe profitebitur. Audiat ſaltem, ſi qvis ita frontem perfricuit, ut qvicqvam incomparabili huic theſauro præferre vel æqvare ſuſtineat, ipſum τὸν Λόγον æternum Dei Filium, qvi per diviniſſimum Prophetam Eſaiam c. VIII, 20. homines, uti omnibus fucatæ iſtius humanæ ſapientiæ quantumvis ſpecioſæ illecebris poſtpoſitis & neglectis, Legem & Teſtimonium unicè religioſis mentibus amplectantur, ſeveriſſimo præcepto impellit, idq; ni faciant, fore ut auroræ demum fulgorem i. e. ſalutarem τῆς ἄνωθεν σοφίας lucem, qvâ λυχνὸς ille ἐν αὐχμηρῷ τόπῳ φαίνων omnium εὐθετῶν καὶ εὐπειθῶν pectora irradiare ſolet, ſuâ tandem amiſſam ignaviâ tenebris jam plusqvam Cimmeriis immerſi deflere neceſſum habeant, graviſſimè comminatur. Audiat quoq; eundem tanto cum fervore nos τὰς γραφὰς ἐρευνᾶν jubentem Ioh. V, 39. utpote qvæ de ipſo, veluti preciosiſſimo univerſæ Θεοπνεύστου Scripturæ nucleo, luculenter teſtantur. Audiat D. Paulum, qvi cætera omnia διὰ τὸ ὑπερέχον τῆς γνώσεως τοῦ Χριστοῦ, qvæ fruſtra extra ὑγιαίνοντας illos λόγους qværitur, ζημίαν καὶ σκύβαλα arbitratur Phil. III, 8. Audiat deniq; Petrum eum, qvi loqvi præſumit, Dei ſolùm eloqvia proferre mandantem 1. Ep. IV, 11. Nos igitur, à qvibus ſuperiorum voluntas jugi reverentiâ ſuſpicienda exercitium qvalecunq; depoſcit, qvod optimum ac præſtantiſſimum eſt eligamus, & qvò ſaluberrimis monitionibus obtemperemus, ad Legem & Teſtimonium i. e. βεβαιότερον προφητικὸν λόγον venerabundi nos conferamus, deq; uberrimâ ſacrorum oraculorum ſegete paucula modò parcâ manu delibemus, in qvibus piè & diligenter pro ingenij viriumq; modulo expendendis, noſtra in præſente exercitatione deſudabit opera. Faveat inſtituto noſtro ille, ſine cujus numine vani & irriti ſunt omnes miſerorum mortalium conatus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

Oraculum Primum.

Pſalm. II. 7.

De æternâ Filii Dei â Patre generatione.

Thema I.

ORdimur meritò Exercitationem noſtram â ſacratiſſimo iſto arcanæ Sapientiæ pronunciato, qvod ſvaviſſimus Pſaltes non immeritò נְעִים זְמִירוֹת יִשְׂרָאֵל i. e. *jucundus in carminibus Iſraelis* 2. Sam. XXIII. 1. appellatus, ex ore ipſius τȣ͂ Λόγȣ ſecundæ Divinitatis perſonæ protulit, atq́; hâc verborum formâ deſcripſit. Pſalm II. 7. אֲסַפְּרָה אֶל־חֹק יְהוָה אָמַר אֵלַי בְּנִי אַתָּה אֲנִי הַיּוֹם יְלִדְתִּיךָ׃. Tam illuſtre enim & luculentum hoc de Chriſti divinitate, ejusq́; à Patre æternâ generatione teſtimonium eſt, ut vix evidentius in toto V. T. reperire liceat.: imo nusqvam priùs in univerſo Veteri Inſtrumento *Filii* nomine Meſſias expreſsè indigitatus legitur..

II. Qvò illuſtrius autem hoc de Chriſto noſtro eloqvium eſt, eò majore conatu tenebras ei offundere juratus Chriſti pariter ac Eccleſiæ adverſarius allaboravit; ſemper enim illos ſubornavit, qvi claram ac perſpicuam ejus veritatem ſtrabis expoſitionibus offuſcarent: imo id qvoq; ſuis fraudibus obtinuit, ut in Chriſtianorum numero non defuerint, qvi genuinum dicti hujus ſenſum dubium ac ſuſpectum reddiderunt. Etenim Judæi pleriq; eorumq́; Magiſtri ut totum hunc Pſalmum, ita hanc qvoq́; ejus particulam unicè de Davide interpretantur, cujus rei documentum unus inſtar omnium *R. Schelomo Jarchi* in ſuis ad hunc locum peruſchim dare poteſt, qvâ in parte Paraphraſten Chaldæum ſecum habet conſentientem, qvi ad Davidem hæc verba accommodans hunc in modum παραφϱάζει, חֲבִיב כְּבַר לְאַבָּא לִי אַנְתְּ זַכָּאָה כְּאִלּוּ יוֹמָא דֵין בְּרֵיתָךְ, qvæ verba Latinè ita verteris, *dilectus ſicut Filius Patri tu mihi es, purus ac ſi die iſtâ creaviſſem te.*

III. Malè-ſanam hanc cœcorum Judæorum depravationem ſuo non dedignatus eſt patrocinio *Joh. Calvinus* [qvem tamen *Rive-*

tus

tus h. l. licet ab ipſo diverſum ſtatuens, *doctiſſimum Interpretum* vocare non faſtidivit] qvi comm. in hunc Pſalmum divinum hoc Meſſiæ proprium elogium de Davide primariò interpretatus, *ipſum divino conſilio Regibus aliis præferri, huncq; honoris titulum* καθ' ἐξοχὴν *ipſi tribui, ut Chriſti reſpectu, cujus imago erat, tam magnificè ornetur, ut eum Deus non vulgarem, nec ex multis aliqvem, ſed qvaſi unigenitum filium agnoſcat, & poſtqvam innotuit creatum eum fuiſſe divinitus Regem, tanqvam nuper à Deo genitum prodiiſſe eum, imo ipſis Angelis, dum Chriſti perſonam geſtabat, excellentiorem factum eſſe*, quod tamen ſoli Chriſto vendicatum vult Apoſtolus Ebr. I. 4. blaſphemo ore aſſeruit. Cum verò ad Chriſtum tanqvam Davidis ſaltem antitypum pertinere auguſtiſſimum hoc effatum diffiteri non potuit, non de æternâ ipſius ſecundùm divinam naturam geniturâ, ſed temporariâ ſolùm ejusdem in carne manifeſtatione, explicandum illud judicavit, eâq; ratione facillimam Judæis, Photinianis aliisq; hoc cœteraq; evidentiſſima de divinitate τοῦ λόγου teſtimonia eludendi viam monſtravit.

IV. Impium hoc *Calvini* gloſſema, Chriſto propria ac peculiaria ad Davidem nefario auſu torqventis, *Pelicanus* in h. l. & *Ben. Aretius* in Ep. Ebr. I. eisq; è Pontificiis ὁμόψηφοι *Janſenius* & *Eſthius* ſuis comprobarunt ſuffragiis. Neq; adeò *Tremellio* & *Junio*, item *Aretio*, *Felino* ac *Joh. Cameroni* idem diſplicuit, qvin eandem cum Calvino opinionem, *illi* qvidem Comm. in Pſalm. 2. *hic* vero qvæſt. in Ep. Eb. ſtrenuè tueri allaboraverint. Qvantùm autem de repertâ hac interpretatione ſibi gratulentur Photiniani, ſolius *Enjedini* in h. l. commentatio oſtendere poterit.

V. Verùm cum ςρεβλὴν hancce *Calvini* ejusq; aſſeclarum expoſitionem, qvam fruſtra acerrimus Præceptoris defenſor *Pareus* adhibito σοφῷ φαρμάκῳ fucare conatus eſt, ſolidè ac nervosè Celeberrimus noſter Theologus D. D. *Ægid. Hunnius* ferreis argumentis exploſerit ac profligaverit, tum in Calvino Judaizante p. 640. & ſeq. tum imprimis in Anti-Pareo altero. pag. 838. & ſeq. ut & Eximius D. D. *Geſnerus* Comm. in Pſalmos p. 22. nos in eâdem fuſiùs refutandâ minus olei atq; operæ, ne actum agamus, conſumemus, præſertim cum hoc non typicum in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

myſtico ſenſu ſumendum vaticinium, ſed ſimplex & abſolutum oraculum eſſe, in ſenſu literali omnino de Chriſto intelligendum, tum ex ipſius Pſalmi viſceribus ac συναφείᾳ, tum è locis in N. T. parallelis, tum deniq; ex unanimi eruditiſſimorum interpretum & commentatorum veterum pariter ac recentiorum conſenſu manifeſtè nullo negotio evinci poſſit.

VI. Primum enim qvod attinet, nullum planè dubium eſt, qvin cum in diviniſſimo hocce Pſalmo diverſæ perſonæ qvaſi in actum Scenicum mirabili artificio introducantur, qvævis ſingulare qvid uti proferat, perſona ordine qvarta, cui decretum illud Jehovæ de ſe ipsâ enarrandum aſſignatur, à reliqvis oppidò diverſa, nulla alia ſit, qvàm ipſe ὁ Λόγος, qvi in frontiſpicio Pſalmi v. 2 מָשִׁיחַ v. 7. בֵּן & v. 12. בַּר appellatur, qvi verè & κατ᾽ ἐξοχὴν eſt Rex Zionis Zach. IX. 9. utpote qvi ſceptrum regni ſui emiſit de Zione Pſalm. CX. 2. Confer Pſal. XIV. 7. Eſa. LII. 7. & LIX. 29. Qvi de ſemetipſo verbo utitur אֲסַפְּרָה qvod eodem ſignificato de ipſo Pſalmo XXII. 23. adhibetur, qvi deniq; ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, τὰ τοῦ πατρὸς, ὃν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, ἐξηγήσατο ἡμῖν Joh. I. 18. qvem dilectum ſuum filium omnes ut audiant ipſe Jehova Matth. XVII. 5. imperat, ipſe enim ex arcanâ & infinitâ Dei ſapientiâ unum חֹק ſeu decretum promit, librumq; arcanorum ſecretorum aperit, qvi ſolus eum ut & recondita divinitatis ſigilla aperire dignus eſt Apoc. V. 5. Confer *Luth.* enarr. in h. Pſ. tom. 4 Jen. Lat. cum qvo hâc in parte *Piſcator* & *Rivetus* in h. l. conſentiunt. Deinde de ipſo primariò ſermo hic eſt, cui I. *hæreditas gentium & poſſeſſio finium terræ unicè competit* v. 8. II. *Cui religioſus adorationis cultus ſummaq; veneratio debetur.* v. 11. 12. III. *In qvo ſi qvis indubitatam cordis fiduciam collocet, veram ſibi beatitudinem polliceri poterit.* v. 3. Qvæ divinæ Majeſtatis pleniſſima prædicata, cum ſoli Dei filio conveniant, qvi I. κληρονόμος πάντων conſtitutus eſt Ebr. I. 2. & cui omnis in cœlo pariter ac terra ἐξουσία data eſt Matth. XXVIII. 18. Joh. XVII. 2. II. qvem omnes æqvali cum Patre honore proſeqventur Joh. V. 23. imo ipſi Angeli adorabunt Ebr. I. 6. III. in qvem qvi immotâ fide recumbit, de æternæ vitæ beatitudine certus ac ſecurus eſſe poteſt. Joh. III. 16. 36. & VI.

V. 40.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

v. 40. 47. ipſe utiq; pro veriſſimo ſuperioris propoſitionis ſubjecto agnoſcendus erit.

VII. Ad Loca N. T. parallela uti progrediamur, in qvibus totum fermè hunc Pſalmum, imprimis autem verſum ejus ſeptimum, de qvo præcipuè noſtra diſſertatio inſtituta eſt, ad Chriſtum Servatorem noſtrum unicè accommodarunt ſanctiſſimi Apoſtoli, multa ſatis ejus cenſus ſe nobis offerunt. Etenim Pſalmi initium ad Chriſtum à Diſcipulis allegatum Act. IV. 25. 26. 27. nonum itidem ejusdem comma de eodem armato hoſtium Eccleſiæ oppreſſore à Divo *Johanne* Apoc. XIX. 15. explicatum invenies: Septimum autem, de qvo nos potiſſimùm ſumus ſoliciti, verſum ipſe *Paulus* diſertis verbis de Chriſto, Act. XIII. 33. Ebr. I. 5. & V. 5. intelligendum eſſe oſtendit.

VIII. Optimos qvoq; & Doctiſſimos Interpretes hunc de Chriſto duntaxat locum expoſuiſſe, nemini dubium eſſe poterit, niſi qvi in eorum lectione hoſpitem ſe fateri velit. E Rabbinis certè *R. Aben Ezra* hoc ad Meſſiam Regem elogium retulit, ut reliqvorum Rabbinorum teſtimonia taceam, qvæ tom. 4. diſp. Gieſſ. diſp. 5. p. 113. 114. congeſta reperiuntur, ut & apud *Galatinum* l. 4. c. 2. l. 7. c. 14. Patres deinde fermè omnes de Chriſto ſolo hoc dictum unanimi conſenſu interpretati ſunt, veluti *Auguſtinus* in Qv. V. & N. T. qvæſt. 54. *Tertullianus* adverſus Praxeam c. XI. *Cyrillus* de rectâ fide ad Theod n. 26. *Theophylactus* in Ep. Ebr. 1. *Hieronymus* in Pſalm. 2. *Cyprianus* contra Judæos l. 2. c. 29. *Theodoretus* in Ep. Ebr c. 1. *Venerabilis Beda* Comm. in Act. c. 13. *Ambroſius* l. 5. de Sacram. c 4. & *Chryſoſtomus* Hom. 2. in Ep. Ebr. ad oculum demonſtrant, qvos ſignatis locis, qvi volunt, conſulant, nos enim ut tempori cartæq; parcamus, eorum verba non adſcribimus. Horum veſtigia preſsè ſeqvuntur omnes, qvos eqvidem videre nobis contigit, recentiores, qvi ſuis commentariis ſacras literas illuſtrarunt, non noſtrates ſaltem, ſed & Calvinianæ pariter ac Pontificiæ Scholæ Doctores: imo Calvino hic aurem tacitè vellicant nonnulli ex iis, qvi propria ipſius caſtra ſeqvuntur, ut *Gualtherus*, *Piſcator* & *Rivetus* in h. l. Atq; ita in eo optimè omnes, iis qvos ſupra notavimus exceptis, conveniunt, qvod de Chriſto hunc locum in abſoluto, ſimplice ac li-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

terali ſenſu agere teſtentur, licet de ejusdem ad Chriſtum accommodatione mirum in modum ut animis ita expoſitionibus diſſideant.

IX. Cum enim ſatis illis conſtiterit, de ſolo Chriſto illuſtre hoc oraculum intelligendum eſſe, difficillima dein inter ipſos orta eſt controverſia, utrum de æternâ ipſius, qvâ λόγου, à Patre geniturâ, an de temporariâ Deitatis ipſius coram hominibus manifeſtatione, veriùs accipiendum ſit: porrò ſi poſterius vero ſit ſimilius, an de humanæ carnis aſſumptione, in qvâ gloria ipſius ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς conſpecta eſt Johan. I. 14. an de divinæ ipſius Majeſtatis revelatione vel in Baptiſmo Matth. III. 16. 17. vel in montanâ μεταμορφώσει Matth. XVII. 5. factâ, an deniqve de glorioſâ ipſius reſurrectione, per qvam filius Dei ἐν δυνάμει ὡρίσθη Rom. I. 4. exponendus ſit locus, haut leviter fluctuarunt.

X. Et primò qvidem non defuerunt qvi triplicem hujus dicti literalem & genuinum ſenſum admiſerunt, inter qvos primas tenet *Alphonſus Salmeron* tom. 1. Comm: in N. T. proleg: 8. p. 80. qvi trifariam hoc dictum ab Apoſtolo allegari ac explicari ait, nempe de æternâ Chriſti generatione Ebr. I, 5. de ipſius reſurrectione Act. XIII, 33. ac de ejusdem ad Sacerdotium & Pontificatum vocatione ſeu deſtinatione Ebr. V, 5. Ab eo non multùm diſcedit *Ioh. Lorinus* Jeſvita qvi comm: in Act: Apoſt: c. 13. triformem qvoq; hujus loci expoſitionem adornat, eumq́; de Chriſti 1. æternâ geniturâ. 2. temporali in aſſumptâ carne manifeſtatione. 3. glorioſâ à mortuis reſuſcitatione interpretatur, atq; hâc in cauſâ *Gregorium de Valentia* alioſq́; ejusdem farinæ ad partes vocat.

XI. Alii geminum huic dicto ſenſum aſſignarunt, & utramq́; Chriſti generationem, tum æternam à Patre reſpectu Deitatis, tum temporalem à Matre Virgine, concurrente divinâ Spiritus Sancti obumbratione Luc. I, 35. reſpectu humanitatis, ſimulq́; ſecutam in eâ aſſumptâ naturâ Deitatis ipſius patefactionem his verbis à Sp. S. repræſentatam voluerunt, ut *Sixtus Senenſis* lib. 7. Bibl. S. hær. 8. n. 11. *Cornelius à Lapide* Comm: in Act. p. 230. *Gilb. Genebrardus* in Pſal. 2. *Becanus* part. 2. Theol. Schol. tom. 2. tr. 1. c. 3. &

Ioh.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

Ioh. Gagnejus Pariſienſis Theologus in Schol. ſuper Acta c. 13. & Ep. Ebr. c. 1. Quod etiam nonnullis è Patribus non diſplicuit, ut *Auguſtino* in Quæſt. V. & N. T. q. 54. [licet aliàs de æternâ geniturâ primariò explicet] *Theophylacto* in Ep. Ebr. c. 1. & præſertim *Ven. Bedæ*, qvi qvidem Comm: in Ep. Ebr. c. 1. unicè de æternâ generatione, at Comm: in Act. c. 13. de incarnatione qvoq; in tempore factâ præſentem locum expoſuit. Neq; ab hâc ſententiâ inſignis noſter Theologus D. D. *Geſnerus* abhorruit, qvi Comm: in h. l. non ſaltem ἄχρονον τοῦ λόγου à Patre generationem, ſed etiam ejusdem filiationis in aſſumptâ carne φανέρωσιν in plenitudine temporis coram mundo qvatuor diſtinctis potiſſimùm vicibus factam, Davidico hocce oraculo comprehendi exiſtimavit, eumq; tum verè filium Dei declaratum eſſe ſecundum mentem Divini Pſaltis ſtatuit. 1. *Cum ab Angelo conceptionem miraculoſam Mariæ annunciante, Filius Dei pronunciaretur* Luc. I, 35. 2. *Cum à choro Angelico carmen canente genethliacum Servator &* χριστὸς Κύριος *ſalutaretur* Luc. II, 11. 3. *Cum in Baptiſmo Matth.* III, 17. *ac in Monte deinde* Matth. XVII, 5. *Filius Dei palam proclamaretur*, & deniq; 4. *Cum à mortuis reſuſcitatus divinam gloriam antea ſub carnis infirmitate occultatam plenè oſtentaret*, qvod Apoſtolum Act. XIII, 33. Ebr. I, 5. & c. V, 5. indicare vo[lu]iſſe non parum à veritatis orbitâ devius ſibi perſvaſit, qvod tamen ita monemus, ut nihil interim viri aliàs ſummi exiſtimationi derogatum nos velle proteſtemur.

XII. Verùm cum nobis extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, unius textus ac loci Biblici unicum ſolummodo genuinum ac immediatum eſſe literalem ſenſum, adeò *ut Scriptura ſacra non ſit ambigua, ſed qvælibet vox & phraſis in eâdem ſententiâ & conſtructione uno eodemq; loco unicam tantum ſignificationem habeat, & unicum ſenſum, non plures: nam tum demùm eſt enunciatio vera, cum unum dicitur, ſed unum non dicitur, cum voci ſeu phraſi eidem duplex affingitur ſignificatio in eodem loco*, ut benè monet *Alſtedius* l. 2. præcogn. Theolog. c. 10. qvod ipſum firmiſſimis rationibus fusè jam antea evicit Clariſſim. D. D. *Glaſſius* l. 2. Philol. ſacr. part. 1. tr. 2. Sect: 1. art. 3. Can: 2. cum qvo confer eruditum Doctiſs. *Riveti* hâc de re diſcurſum Comm; in Pſalmos p. 21.

facilè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

facilè igitur illa de gemino vel trino hujus loci ſenſu, opinio mole ſuâ ruet, ut eam argumentorum copiâ labefactare neutiqvam ducamus neceſſum. De locis autem è Scripturâ à nominatis Autoribus citatis, ſuccinctam inferiùs diſqviſitionem inſtituemus.

XIII. Quidam ſolam temporalem divinitatis Filii Dei manifeſtationem hoc loco expreſſam volunt, ſive in ipsâ incarnatione & Λόγȣ cum humanâ naturâ unione factam, ut *Theodoretus* Comm. in Pſal. 2. & Comm. in Ep. Ebr. c. 1. *Chryſoſtomus* Hom: 2. in Ep. Ebr. *Hieronymus* Comm: in Pſalm. 2. & *Aretius* in Ep. Ebr. c. 1. ſive in ſolenni ipſius inauguratione in Baptiſmo, ac in montanâ ſubſecutâ transfiguratione, ut *Piſcator* in h. l. & in Ebr. c. 1. *Felinus* & *Muſculus* ambo in h. l. ſive deniq; in glorioſo ipſius de morte triumpho per reſurrectionem parto, ut *Hilarius* in Pſ. 2. *Ambroſius* l. 3. de Sacr. c. 1. & l. 5. c. 4. *Vatablus* in Pſal. 2. *Gvaltherus* Hom: 92. in Acta, *Sanctius* in Act. c. 13, p. 268. Imprimis autem *Oſtorodus* in inſtit. Chriſt: Fid. Germ: c. 7. qvi mirè illuſtre hoc dictum in ſuorum gratiam depravat, & præſidium è loco Act. XIII, 33. perperã intellecto petens, ad ſolam Chriſti reſurrectionem detorqvet, fusè eapropter ac ſolidè refutatus à D.D. *Feurbornio* in Anti-Oſtorodo diſp. 8. *Calvinus* in h. l. & *Beza* in Ep. Ebr. c. 1. de Incarnatione & reſurrectione junctim explicandum arbitrantur, à qvibus non multùm hâc in parte diſſenſêre è noſtratibus D.D. *Nic. Hemmingius* in Explicatione hujus Pſalmi [licet Comm: in Ep. Ebr. c. V. nobiſcum facere videatur] & D.D. *Bugenhagius*, ab *Hunnio* idcirco deſertus in Anti-Parco altero p. 853.

XIV. Qvid de fallacibus his ſentiendum ſit interpretamentis, cuivis facilè pateſcet, qvi penitiore mentis indagine in nativum ac genuinum ſacratiſſimi hujus Eloqvii ſenſum inqvirere non fuerit gravatus. Etenim æternam ac ineffabilem τȣ̃ Λόγȣ de Patris æterni eſſentiâ genituram hoc loco primariò abſolutè ac immediatè à Sp. S. indigitari, nemini ſedulo divinæ veritatis æſtimatori dubium eſſe poteſt, tam ἐμφατικῶς enim ac perſpicuè ea hic deſcribiur, ut impium eſſe oporteat, qvem in tantâ luce cœcutire juvat. Ut verò ſolidè ac manifeſtè hoc evincatur, argumenta 1. ex antecedentibus, 2. ex ipſius textus literâ, 3. è conſeqventibus,

4. è loco

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

4. è loco parallelo illuſtriſſimo, 5. è vetuſtiſſimorum Patrum, optimorumqve Interpretum conſenſu invicta petemus.

XV. Primò τῶν προηγουμένων cum arcano hoc Jehovæ pronunciato connexionem qvod attinet, præceſſit proximè æternum Dei de unctione Regis ſui, Meſſiæ nimirum, decretum, propriâ ipſius voce hoc modo teſtatum, com. 6. אֲנִי נָסַכְתִּי מַלְכִּי עַל צִיּוֹן הַר־קָדְשִׁי, id eſt: *Ego unxi* ſeu *conſtitui Regem meum ſuper Zion montem ſanctitatis meæ*, qvæ verba *Calvinus* de ſolo Davide perfidè interpretatur. Ubi ὡς ἐν παρόδῳ noto inſigne LXX. Interpretum, ut & vulgatæ verſionis ejusq; Patronorum *Hieronymi*, *Genebrardi* aliorumq; παρεργαμα, qvi verbum Activum in Kal paſſivè reddunt, κατεστάθην *conſtitutus* vel *inunctus ſum*, & ׳ in מַלְכִּי qvod affixum primæ perſonæ eſt, paragogicum faciunt, alterumq; ejusdem cenſus in קָדְשִׁי in tertiam perſonã immani licentiâ transformant, eâq; ratione vim textui primigenio mentiq; ſanctiſſimi Pſaltis horribiliter inferunt.

XVI. Quamvis autem unctio illa qvoad actualem executionem in tempore demum Chriſto contigerit, idq; ſecundùm eam naturam, ſecundùm qvam *ad Evangelizandum miſſus eſt* Eſ: LXI, 2. *egreſſus eſt ut virgultum è radicibus Ieſſe* Eſa. XI, 1. 2. *conſortes & ſocios habet* Pſal. XLV, 8. nempe aſſumptam humanitatem, in qvâ *unctus eſt Spiritu S. & virtute* Act. X, 38. *non ſecundùm menſuram* Joh. III, 34. cujus unctionis tempus in *Sanctum ſanctorum* conferendæ a *Daniele* definitum reperitur c. IX, 24. confer Luc. IV, 18. 21, Ebr. I, 9. Interim qvoad προορισμὸν & decretum Dei, cui γνωστὰ ἐστιν ἀπ᾽ αἰῶνος qvæcunqve facit Act. XV, 18. qviq; vocat τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα Rom: *IV*, 17. planè æterna ante omnia ſecula hæc unctio fuit, ut ex ipſius increatæ & hypoſtaticæ ſapientiæ [qvæ Chriſtus omnino eſt, ὃς ἐγενήθη ἡμῖν σοφία ἀπὸ θεοῦ 1. Cor. I, 30. vid. Matth. XI, 19. Luc. VII, 35, & XI, 49,] diſerto teſtimonio conſtat Prov. *IIX*, 23. מֵעוֹלָם נִסַּכְתִּי מֵרֹאשׁ מִקַּדְמֵי אָרֶץ [ubi nota idem verbum in Niphal uſurpatum, qvod Pſal. II, 6. in Kal adhibetur] i. e. *Ab æterno inuncta fui, à principio, ante primordia terræ*, qvod præcedente verſu ita effert, *Iehova me poſſedit in initio viarum ſuarum, antequam qvidqvam de ſuis operibus produceret*. Egregiè autem huc qvadrat notabilis illa obſervatio diſcri-

minis inter verba נָסַךְ & מָשַׁח, qvorum illud æternam ad officiũ mediatorium deſtinationem, hoc verò temporalem ἀυχημάτων divinorum collationem plerumq́; exprimere ſolet, qvam nos celeberrimis Theologis, D. *Feurbornio* faſc. 3. diſſert: Theol: diſp: 5, th. 25, 26. *Schrödero* in ſceptr. Reg: & *Dannhawero* Χριςοσοφ. ſect. 1, art. 4. debere ingenuè profitemur. Eò etiam ſpectat aureum Apoſtoli effatum Ebr. XIII, 8. *qvod Ieſus Chriſtus heri & hodie idem ipſe ſit & in ſecula:* Si verò Χριςὸς i. e. unctus tam heri qvàm hodie fuit, utiq; in æternitate in incomprehenſibili Patris decreto ac conſilio hæc unctio contigiſſe credenda eſt, ſic enim χθὲς illud Apoſtolicum *τὸν παρελθόντα πάντα χρόνον Theophylacto* & *omne tempus præteritum Chryſoſtomo* in h. l. deſignat. Confer *Gerhard.* Comm: in Ep. Ebr. ut & *Heinſium* ac *Riberam* h. l.

XVII. Si igitur æterna ſit reſpectu decreti divini hæc Chriſti unctio ac ad officium mediatorium deſtinatio [utraq; enim verbo נְסַכְתִּי deſignatur, unde duobus verbis, nempe רַבֵּיתִי & מַנִּיתִי i.e. *unxi* & *conſtitui* ſeu *præfeci* unicum iſtud Chaldæus Paraphraſtes reddidit] æterna qvoq́;, qvæ immediatè ſubnectitur, ipſius generatio hoc loco intelligenda eſt. Eâdem enim planè ratione, qvâ hic Hieropſaltes unctionem & generationem τοῦ λόγου conjunxit, ſapientiſſimus qvoq́; ipſius filius loco citato utramq; cum expreſsâ æternitatis circumſcriptione ſimul collocavit, dum verbis ſupra allegatis illud ſapientiæ de ſeipsâ eloqvium ſtatim ſubjunxit v. 24. *cum nondum eſſent abyſſi, concepta eram* (Ebr. חוֹלָלְתִּי) ſeu *genita*, *Chaldæus* enim vertit אִתְיְלִידִית, qvod etiam mox v. 25. repetitur.

XVIII. Deinde expreſſa ipſius textus præſentis litera hunc de λόγου æternâ generatione ſenſum unicè admittit. Primò enim *Filii* nomen in ineffabili ad Jehovam genitorem relatione primariò ac abſolutè Chriſto ſecundùm eam naturam competit, qvæ ante omnia ſecula à Patre generata extitit. Nam qvanqvam Filii Dei ſæpiuſculè in Scriptura creaturæ appellari ſoleant, ut I. Angeli Job I, 6. & XXXIIX, 7. Dan: III, 25. *II.* magnorum & Sanctorum in Eccleſia virorum filii Gen. VI, 2. *III.* eminenti aliqvo divinæ ordinationis officio fungentes Pſalm. LXXXII, 6.

IV Gra-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

IV. gratioſâ adoptione ſpiritualis filiationis jus conſecuti Pſalm. LXXIII, 15, & LXXXIX, 7. Oſe. I, 10, &c. Illud tamen cum additamento qvodam imminuente, propriumq́; ac primarium filiationis actum excludente plerumq́; conjungitur. Neq́; Chriſto homini uſqvam in totâ S.S. venerandum hocce nomen attribuitur, niſi *δευτέρως* ſaltem ac mediante divinitate ejusdem perſonæ, idq́; propter gratioſam illam ac intimam aſſumptæ naturæ cum *λόγῳ* unionem. At Meſſiam ut Deum coæternum & *ὁμοούσιον* propriiſſimè ac eminentiſſimè filium ſuum ſalutat Jehova, qvippe qvem abſtruſâ planè ac incomprehenſibili ratione è ſuâ eſſentiâ in recondità æternitate genuerat; ſecundùm hanc enim ſolam generationem *μονοτρόπως* Filius Dei eſt Chriſtus, qvemadmodum etiam hoc reſpectu abſolutiſſimè & ſine ullâ limitatione, imo *κατ' ἐξοχὴν* v. 12. בַּר appellatur: ipſe namq́; tam ſingulariter ac incommunicabiliter eminentiſſimum hoc nomen ſibi vendicat, ut nulli omninò finitæ creaturæ in eo excellentiæ gradu conveniat, adeoq́; cum ipſum æternus genitor hoc titulo בְּנִי אַתָּה compellat, ſimul eum ab omnibus creaturis ſecernat, ſupraq́; eas longiſſimè evehat, atq́; in divinitatis arcanum collocet, ut è feliciſſimi horum verborum interpretis Apoſtoli ſolidiſſimâ explicatione liqvet Ebr. I, 4, 5.

XIX Quod enim hâc ratione *Filii* nomen convenienter ipſi Davidicæ ſententiæ explicetur, id non ſaltem ex aliis Pſalmis manifeſtè conſtat, utpote Pſal. XLV, 7, & CII, 26, cum qvibus conferatur Ebr. I, 8, 10, 11, 12. ſed imprimis ex illuſtri divinâ revelatione, qvæ Davidi in ſeceſſu animi cœlica myſteria meditantis conſtituto contigit 2. Sam. VII, 18, 19, & 1. Par. XVII, 16, 17. dum *μεγαλεῖα τοῦ θεοῦ* in longinqvum in ſuâ poſteritate eventura *προϊδὼν* (ut de ipſo *Petrus* Act. II, 31. loqvitur) admirandam divinæ *οἰκονομίας* Legem contemplatur, ſecundùm qvam *Excellens ille homo* [הָאָדָם הַמַּעֲלָה] è ſuâ progenie oriturus ſimul אֲדֹנָי יֱהֹוִה vel יְהוָֹה אֱלֹהִים i. e. *Dominus Deus* in eodem ſuppoſito futurus ſit. Vide de hoc loco, cujus genuinam interpretationem fruſtra impugnat D. *Tarnovius* Exercit: Bibl: cl. 3, probl: 2, B. *Lutherum in* Noviſſ: verbis Davidis Tom: 8. Jen. Germ: f. 158. & D. *Glaßium* in Onomatol: Meſſ: Proph. cl. 3, appell. 3.

XX. Illud qvoq; additamenta ampliantia in N.T. adjecta indubiè ſvadent, dum qvi hîc ἁπλῶς filius & filius Jehovæ appellatur, ibi cum προσθέσει ὑὸς μονογενὴς Joh. *I*, 18. *III*, 16. & 1. Joh. *IV*, 9. ὑὸς τοῦ πατρὸς ὁ ἀγαπητὸς Matth. *III*, 17, Marc. *XII*, 6, Luc. *IX*, 35, 2 Pet. *I*, 17. ὑὸς ἴδιος Rom. *VIII*, 32. ἀληθῶς θεοῦ ὑὸς Matth. *XIV*, 33. & *XXVII*, 54. ὑὸς in cujus nomine unâ cum Patre & Sp. S. ἓν βάπτισμα ἰσοῤῥόπως perficitur Matth. *XXVIII*, 19. ἴδιον πατέρα ἔχων τὸν θεὸν, ὑὸς ἰσοδύνατος, ἰσότιμος Joh. V, 18, 21, 23, 26, &c. ὑὸς πρωτότοκος πάσης τῆς κτίσεως Col. *I*, 15. Ebr. *I*, 6. Quæ certè elogia in nullam finitam perſonam cadunt, ſed ſoli τῷ λόγῳ æterno Dei filio propria ac peculiaria ſunt, prout egregiè hâc de re *Juſtinus Martyr* Apol. 1. ad verſus Gentes p. 35. loqvitur, ὁ δὲ ὑὸς θεοῦ ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως ὑὸς, ὁ λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γενόμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν πάντα δι' αὐτοῦ καὶ ἔκτισε, καὶ ἐκόσμησε. & Apol. 2, p. 53. Ἰησοῦς Χριστὸς μόνος ἰδίως ὑὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται, λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων, καὶ πρωτότοκος, καὶ δύναμις.

XXI. Secundò verbum iſtud יְלִדְתִּיךָ, qvod generationem illam, de qvâ nobis ſermo eſt, exprimit, idem infallibiliter evincit. Notandum autem 1. Illud nusqvam in Sacris Bibliis hâc formâ ampliùs occurrere; qvod *Maſoretha* adjectâ literâ ל, qvæ initialis eſt dictionis לית, deſignatum voluerunt, irregulariter enim poſitum eſt pro יְלִדְתִּיךָ, proculdubio ut arcanæ genituræ ſingularitas ac ineffabilis eminentia tacitè indigitetur. 2. Quod hoc verbum viris pariter ac fœminis promiſcuè Scriptura V. T. attribuat, atq; tum *gignere* tum *parere* ſignificet, qvemadmodum neq; Græcæ neq; Latinæ lingvæ genius ab illo vocum τίκτειν & *parere* uſu abhorret, qvo virili ſexui qvandoq; aſſignantur, qvod exemplorum copiâ oſtendi poterat, ſi operæ precium illud judicaremus. Nec prætereundum hic cenſemus accentum diſtingventem Rebhia voci אֲנִי, ad diſtinctionem inter perſonâ generantem & genitam in unâ ac indiviſâ eſſentiâ innuendam, appoſitum, de qvo vid. Erud. *Glaſſium* in Onomat. Meſſ. Prophet. Cl. 1, app. 7,

XXII. Licet verò nusqvam in ſacris monumentis [præſentem locum eiqve in N. T. παραλλήλους ſi excipias] hoc verbum de Deo Patre, eo qvi hic innuitur ſenſu, uſurpatum deprehendatur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

certum tamen eſt ſubſtantialem ipſius genituram eamq́; æternam, incomprehenſibilem ac perfectiſſimam hâc notione repræſentari, qvod invicto hoc axiomate conſtanti perpetuæq́; Scripturæ analogiæ ſuperſtructo probatum damus. *Qvotiescunq́; verbum* יָלַד *de perſonâ producente perſonam abſolutè & ſine ullo* προσδιορισμῷ *uſurpatur, ſubſtantialis ſemper & univoca generatio deſignatur.* Alioqvin *I.* ubi actio τοῦ יָלַד denotata non inter perſonam & perſonam ſeu ſuppoſitum vivens rationale, ſed perſonam & rem inanimatam intercedit, tum hoc verbum Deo attributum creaturarum productionem, qvæ æqvivoca generatio ſine periculo dici poteſt, exprimit, qvomodo pluviæ, roris, glaciei & pruinæ genituram ad Deum ceu Patrem refert *Iobus XXXVIII*, 28. 29. *II.* Ubi objectum generationis perſona qvidem eſt, ſed προσδιορισμὸς ſeu limitatio qvædam additur, qvâ proprius & univocus gignendi actus ſeqveſtratur, tum qvoq; hoc verbum de Deo uſurpatum, aut creationem nominatæ perſonæ denotat, qvomodo Deus ceu Petra filios Iſraël genuiſſe dicitur Deut. *XXXII*, 18. qvod ſtatìm de creatione explicatur, dum idem genitor *Creator* nuncupetur, qvod etiam peſſimâ κακοζηλίᾳ de idolis lapideis ab idololatris ineptiſſimè dictum fuiſſe *Ierem.* c. *II*, 27. conqveritur: aut ſpiritualem regenerationem & in regnum gratiæ aſſumptionem deſignat, ut cum ſpiritualis Hieroſolyma qværit *Eſa. XLIX*, 21. *Qvis genuit mihi iſtos?* ſtatim reſponſum divinum qvod verſu immediatè ſeqvente ſubjicitur, iſtius genituræ qvalitatem declarat, qvod nimirum ſit plurimarum gentium per verbum in Eccleſiæ conſortium collectio, confer & verſ. præc. 18. & 19. Sic *Iacobus I*, 18. de Deo inqvit, βουληθεὶς ἀπεκύησεν ἡμᾶς, ſed addit, λόγῳ ἀληθείας, ſic omnis in Chriſtum credens ἐκ τοῦ θεοῦ γεγεννημένος dicitur 1. Joh. *V*, 1. eâdemq́; ratione *Paulus* ſe Corinthios genuiſſe ait, verùm non ſine additamento, διὰ τοῦ εὐαγγελίου 1. Cor. *IV*, 15. Quoniam autem יָלַד hoc loco refertur ad perſonam יְהֹוָה DEI PATRIS producentem perſonam FILII, idq́; ſimpliciter, abſolutè ac ſine ullo προσδιορισμῷ, qvo hujus verbi aut κατάχρησις aut μεταφορὰ indicetur, utiq; ſubſtantialis ac univoca filii à Patre generatio omninò intelligenda erit, & per conſeqvens non alia, qvàm æterna illa extra temporis ſucceſſio-

 nes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

nes & viciſſitudines conſtituta, omnisq; compoſitionis ac diviſionis neſcia, qvippe qvæ in divinis ne qvidem fingi aut cogitari debent.

XXIII. Tertiò deniq; adverbium additum הַיּוֹם inſigne noſtræ expoſitioni robur conciliat, qvod τοῦ λόγου filiationem neqvaqvam certo ac definito aliqvo temporis ſpacio circumſcribit, ut adverſæ explicationis patroni th. 11. & 12. nominati opinantur, neq; firmioris ſaltem aſſeverationis causâ poſitum eſt, ut *Flacius* in Clavi part: 1. p. 386. *Felinum* ſecutus exiſtimat, ſed æternitatem invariabilem hoc loco deſignat, hujusq; generationis, in qvâ nihil præteriti, futuri nihil, perpetuam conſtantiam ac immutabilem permanentiam oſtendit, de qvâ elegantiſſimè *Damaſcenus* l. 1. O. F. c. 8. loqvitur, ὁ γὰρ Θεὸς ἄχρονος ὢν, καὶ ἄναρχος, καὶ ἀπαθὴς, καὶ ἄῤῥευστος, καὶ ἀσώματος, καὶ μόνος ἀτελεύτητος, ἀχρόνως καὶ ἀνάρχως καὶ ἀῤῥεύστως καὶ ἀπαθῶς γεννᾷ καὶ ἐκτὸς συνδυασμοῦ: καὶ οὔτε ἀρχὴν ἔχει ἡ ἀκατάληπτος αὐτοῦ γέννησις, οὔτε τέλος, καὶ ἀνάρχως μὲν διὰ τὸ ἄτρεπτον, ἀῤῥεύστως δὲ διὰ τὸ ἀπαθὲς καὶ ἀσώματον &c. Qvod enim *hodie* in Scriptura non ſemper determinatum aliqvem diem deſignet, è locorum Gen. XXII. 14. XXXI: 48. Deut. IV. 39. Pſ. XCV. 7. Ebr. III. 13. 15. & XIII. 8. ſedulâ inſpectione & collatione patet: qvinimò ipſe Jehova manifeſtè æternitatem ſuam voce מִיּוֹם Eſa: XLIII. 13. declarat, qvam LXX. ἀπ' ἀρχῆς, *Hieronymus ab initio* vertunt. Certiſſimus autem hujus ἀχρόνου הַיּוֹם interpres eſt *Micheas* c. V. 2. qvi de ἀῤῥήτῳ hoc generationis τοῦ λόγου, qvam per מוֹצָאוֹת intellectam vult, myſterio verba faciens, eam מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם factam eſſe affirmat, qvâ loqvendi formâ æternitatem omnino deſignari loca Pſal. LXXIV. 12. Hab. I. 12. Pſ. XCIII. 2. &c. diligentiùs expenſa evidenter docebunt. *Hodie* ergò in divinis, ubi unus dies tanqvam mille anni & mille anni tanqvam dies unus ſunt 2. Pet. *III.* 8. ipſa invariabilis æternitas perpetuumq; illud diviniſſimum, τὸ νῦν exiſtit, in qvo nulla παραλλαγὴ, imo nec τροπῆς ἀποσκίασμα ullum eſt, monente *Jacobo* c. I. 17. Confer *Riberam* Comm. in Ep. Ebr. p. 69. Nullâ igitur prægnante causâ adductus

ctus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ctus fuit Cl. *Rivetus*, à qvo non multùm diverſus abit *Gvil. Ameſius* Lect. in Pſ. 2. ut unicum hocce Davidicum comma in duo membra diſpungeret, priusq; ſaltem, *filius meus es tu*, de æternâ geniturâ, poſterius autem, *Ego hodie genui te*, de φανερώσει Divinitatis, per reſurrectionem qvoad ſenſum & notitiam hominum factâ interpretaretur.

XXIV. Neq; τὰ ἑπόμενα hujus Pſalmi prætereunda ſunt, qvæ divinam hanc æternamq; generationem ſolidiſſimè probant, idq; duobus potiſſimùm momentis. Primò enim nulla temporalis genitura perſonam infinitæ potentiæ ac immenſi dominii producit, ſed ipſum, cui ea divinitatis propria conveniunt, ab æterno genitum eſſe oportet. At Perſonæ, qvæ hic à Jehova generata commemoratur, ſtatim v. 8. *gentium hæreditas, terminorumq; terræ poſſeſſio* appropriatur, & ſimul v. 9. poteſtas diviniſſima *perduelles virgâ ferreâ coërcendi, confringendi ac de viâ perdendi* v. 12. committtiur. Cum autem per *fines* ſive *terminos terræ* univerſus orbis habitabilis intelligatur, ut Pſ. XIX. 5. ubi poſiti אַפְסֵי אָרֶץ per πέρατα τῆς οἰκουμένης Rom. X. 18. & per πᾶσαν τὴν κτίσιν τὴν ὑπὸ τὸν οὐρανὸν Col. I. 23 explicantur, item Pſal. XXII. 28. & LIX. 14. & LXV. 6. & LXVII. 8. Eſa. LXXXII. 10. videre licet, illudq; dominium aliàs *Dominium à mari usq; ad mare & à fluminibus ad fines terræ* Zach. IX. 10. & שָׁלְטָן עָלַם i. e. *Dominium ſeculi* ſeu *æternum in omnes populos, nationes & lingvas nunqvam auferendum & regnum non corrumpendum.* Dan. VII. 14 appelletur, utiq; infinitum iſtud regimen immenſam in Rectore potentiam & omnipræſentiam reqvirit, qvæ divinæ eſſentiæ ἰδιώματα eminentiſſima non niſi ab æternâ fluunt generatione. Qvanqvam enim 1. non diffiteamur hujus dominij conceſſionem præviâ poſtulatione Joh XVII 5. in tempore demum factam eſſe, adeoq; Chriſto ſecundùm humanam naturam competere; qvia tamen diviniſſima hæc poteſtas non aſſumptæ carni ex naturalibus principiis convenit, ſed è τοῦ λόγου, in cujus ὑπόστασιν evecta eſt, infinitâ Majeſtate dependet, ejusq; gratioſâ intercedente μεταδόσει hoc privilegium humanitas obtinet, inconcuſſa adhuc manet noſtra argumen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

gumentatio, qvâ omnium gentium finiumq́; orbis poſſeſſorem juſtumq́; gubernatorem, infinitam, immenſam ac omnipræſentem ſuâ naturâ perſonam eſſe, adeoq́; non in tempore productam, cum infinito repugnet habere in tempore eſſendi principium, evicimus. Qvanqvam etiam 2. ἐξουσία ἐπὶ τῶν ἐθνῶν καὶ ποιμαίνειν ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ &c. cuivis fideli ſpiritualium hoſtium victori tribuatur Apoc. II. 27. adeoq́; non ad ſolam divinitatem reſtringi poſſe videatur, certum tamen eſt id ſaltem modo qvodam ſecundario ſanctis, ut membris ſpirituali κοινωνία cum Chriſto capite connexis, competere, Chriſto autem ipſi propriiſſimè ac eminentiſſimè convenire, qvi propriè ἐν τῇ ῥομφαίᾳ διστόμῳ καὶ ὀξείᾳ πατάσσῃ τὰ ἔθνη, καὶ αὐτὸς ποιμαίνῃ αὐτοὺς ἐν ῥάβδῳ σιδηρᾷ, καὶ πατεῖ τὴν ληνὸν τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τῆς ὀργῆς τοῦ Θεοῦ τοῦ παντοκράτορος. Apoc. XIX, 15. qvod ultimum ita olim de Chriſto enunciavit *Eſaias* c. *LXIII*, 3. ut adjectâ particulâ excluſivâ לְבַדִּי ipſi ſoli hunc actum adſcripſerit, omnemq́; omninò ſociam opem removerit.

XXV. Alterum qvod è conſeqventibus momentum ultrò ſe nobis offert illud eſt, qvod neq́; ulla temporalis generatio perſonam adorabilem ac religioſo cultu venerandam producere qveat. At huic Jehovæ filio & *religioſum cultum* ſub oſculi Symbolo repræſentatum, & *beatificam fiduciam* deberi è v. 12. 13. liqvet. Phraſi enim illâ נַשְּׁקוּ־בַר i. e. *oſculamini filium* (cæteras aliorum erroneas verſiones, inter ſe mirè diſcrepantes ad veritatis amuſſim examinare inſtituti noſtri ratio jam non permittit) religioſum adorationis cultum deſignari è locis 1. Reg. *XIX*, 18. & Hoſ. *XIII*, 2. conſtat, ubi veneratio idolis loco veri Dei delata hoc verbo exprimitur, qvò etiam referunt nonnulli ritum in ſacris Ethnicorum adhiberi ſolitum, qvo manum ori admotam deoſculari conſveverunt, à *Minutio Fœlice* in Octavio, *Plinio* l. 28. c. 2. *Apuleio* l. 4. Metamorph: & Apol. 1. commemoratum, nec non à *Iobo* c. *XXXI*, 27. uti putant, indigitatum. Illud autem extra controverſiam eſt, ſalutarem cordis fiduciam, qvam in hoc filio collocari jubet divinus Vates, qvæ etiam fidentibus veram confert beatitudinem, talem in eodem filio divinam eminentiam præſupponere, qvæ cum nullâ creatâ aut finitâ perſona communicari poteſt,

male-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

maledictus enim omnis ab ipſo Jehova proclamatur, qvi in homine confidit Jerem. *XVII*, 5. benedictus è contrario qvi in Jehova confidit, & cujus fiducia Jehova exiſtit v. 7. Si igitur è Spiritus Sancti præcepto religioſa & beatifica hæc λατρεία huic filio deferenda ſit, ipſum utiq; Jehovam Deumq́; propter æternam generationem Patri æterno coæternum eſſe oportet.

XXVI. Ut verò ad locum Parallelum demùm perveniamus, ubi *Apoſtolus* ὑπὸ τοῦ πνεύματος ἁγίου φερόμενος Davidicam propoſitionem ita de filio Dei ante ſecula genito interpretatur, ut nullo alio reſpectu ipſi convenire qveat, is certè tam illuſtris occurrit in Ep. Ebr. c. I. ut clariorem qvi deſiderat, lucem in meridie reqvirere videatur. Ad Chriſtum enim hæc Pſaltis verba eâ ſaltem ratione accommodata vult Apoſtolus. v. 5. ſecundùm qvam *per ipſum ſecula ſunt facta* v. 2. ipſe eſt ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως τοῦ πατρὸς, *atq́; omnia verbo potentiæ ſuæ portat* v. 3. *omnibus Angelis eſt religioſâ adoratione colendus* v. 6. *æterni throni eſt* Θεὸς v. 8. *&* ὁ Κύριος *qvi* κατ᾽ ἀρχὰς τὴν γῆν ἐθεμελίωσε, *cujusq́; manuum opera ſunt cœli* v. 10. Quæ attributa cum Chriſto ſaltem ſecundùm divinam naturam competant, neq; ad aſſumptam humanitatem, ut talem, ullâ ratione accommodari qveant, filiatio qvoq́; ipſa eodem loco expreſſa eodem reſpectu de ipſo intelligenda erit, ut eatenus filius Dei vocetur, qvatenus ab æterno à Patre genitus extitit. Et qvamvis in eodem hoc capite talia uſurpet prædicata diviniſſimus Apoſtolus, qvæ humanæ tantummodò naturæ reſpectu Chriſto uti ſubjecto conveniunt, tota tamen univerſi contextus Apoſtolici συνέπεια hunc præcipuum Autoris ſcopum unicè commonſtrat, qvod divinitatem Chriſti Servatoris invictis argumentis probare contendat, atq; hoc imprimis qvintum comma è Pſ. II, 7. deſumptum, divinam atq́; ὑπέρχρονον ipſius à Patre generationem principe ſignificato indigitet, qvod in ipſâ συζητήσει publicâ, ſi controverſia hâc de re mota fuerit, ulteriùs cum bono Deo declarabimus, jam enim prolixitatem ut devitemus ad alia properamus.

XXVII. Neq́; ſilentio involvenda nobis hic ſunt Patrum Orthodoxorum aliorumq; doctiſſimorum interpretum ſuffragia, qvi in hujus loci genuinâ expoſitione amicas nobis porrigunt dexteras.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ras. Patres enim qvod attinet, ex iis 1. *Tertullianus* adverſus Judæos c.14. & adverſus Marcionem l.3.c.20. hoc dicto ad Chriſti divinitatem probandam utitur. 2. *Athanaſius* in decret Syn. Nic: adv: Hæreſ: Arian. nullum alium hujus loci ſenſum agnoſcit, qvàm ut de æternâ τοῦ Λόγου genitura accipiatur. 3. *Cyrillus* de rectâ fide ad Theodoſ. Imp. p.22. egregiè hæc Pſalmi verba de divinâ filii Dei generatione exponit, eumq; τῷ φύσαντι συναΐδιον καὶ πρὸ παντὸς αἰῶνος υἱὸν appellat, illudq; σήμερον, τὸ οὐ τὸν παρῳχηκότα, τὸν ἐνεστῶτα δὲ μᾶλλον καταδηλοῦν καιρὸν, βαθὺ τὸ μυστήριον, ἀλλα τοῖς ἀνα μέρος τιθεῖσι καὶ διορίζουσι δυσέφικτόν τε καὶ ἄπορον ἀληθῶς in ſe continere affirmat. 4. *Auguſtinus* qvoq; non multùm abludit in Enchir. ad Laurentium c.49. qvi licet loco th.XI. citato illum de temporariâ Deitatis manifeſtatione ſenſum non reſpuat, hîc tamen primariò de æternâ generatione explicandum locum rotundis verbis docet, dum ita inqvit: *Vox illa Patris, quæ ſuper Baptizatum facta eſt, Ego hodie genui te, non unum illum temporis diem, qvo baptizatus eſt, ſed immutabilis æternitatis oſtendit, ut illum hominem ad unigeniti perſonam pertinere monſtraret; ubi enim dies nec heſterni fine incoatur, nec initio craſtini terminatur, ſemper hodiernus eſt.* Confer & alia *Auguſtini* loca in enarr. hujus Pſalmi & in Orat: de 5. hæreſibus. Ab horum veſtigiis ne latum ungvem declinarunt eruditiſſimi, qvi ſucceſſere, ſacrarum literarum Interpretes, utpote B. *Lutherus* Enarr. in hunc Pſal. tom.4. Jen. Lat. p.632. *Chemnitius* in Loc. comm. art. de Filio, *Hunnius* in Anti-Pareo altero, *Gerhardus* comm. in Ep.Ebr. c.1. & in Exeg. tom. 1. loc. art. de Perſ. Chr. §. 54. *Mentzerus* in Exeg. A. C. p. m.56. *Helvicus* t. 4. diſp. Gieſſ. diſp. 5. *Grawerus* in c. 1. Ep. Ebr. *Ioh. Tarnovius* enarr. Pſ. 2. *Feurbornius* in Anti-Oſtorodo diſp. 8. *Glaſſius* in Onomat. Meſſ. Proph. Cl. 1. nom. 7. & Philol. ſacr. l. 2. p. 1. tr. 2. ſect. 1. *Dannhawerus* Χριστοσοφ. ſect. 1. art. 1. *Dorſcheus* diſp. in h.l. *Strigelius* in Ep. Ebr. c. 1. *Ludovicus de Dieu* in Act. p.130. & 131. & præter hos etiam è Pontificiis *Bellarminus* l. 1. de Chriſto, *Th. Cajetanus* Cardinalis comm: in Act. 13. & Ebr. c. 1. ut & *Franc. Ribera* comm. in Ep. Ebr. p. 71. 72. 73. ad qvos, qvi uberiùs hâc

de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

de re erudiri cupiunt, ablegatos volumus, nobis enim brevitatis ſtudioſis diutiùs his immorari non placet.

XXVIII. Dum verò ita fervidi pro æternæ geniture ſenſu h.l. vindicando pugnamus, neutiqvam ejusdem ineffabilis ac æternæ filiationis temporariam φανέρωσιν planè excluſam volumus, qvin ea ſecundariò ac ἑπομένως ex hoc loco deduci poſſit, ita ut mediante principali iſto ſenſu, qvem jam evicimus, illam ut conſeqventer inde fluentem eodem θεωπνέυςω oraculo contineri concedamus; hâc enim ratione expeditiſſima locorum in N.T. parallelorum cum hoc dicto conciliatio datur: nam qvia verè erat æterni Patris filius Chriſtus, ante ſecula ab ipſo genitus, idcirco etiam talis in aſſumptâ carne coram hominibus apparuit, ſuamq́; variis modis divinitatem conſpicuam fecit Joh.I, 14. 1.Tim. *III*, 16. Quod eo tutiùs aſſerimus, qvò faciliùs illud *Pareo* largitus eſt maximus *Hunnius* in Anti-Pareo altero col. 849. & 855.

XXIX. Loca tandem, qvæ adverſa pars è Scripturâ nobis opponit, qvod concernit, prompta facilisq́; ad ea ſeſe offert reſponſio. Primò enim de incarnatione ſeu temporariâ Chriſti hominis generatione locus Luc. 1, 35. neqvaqvam intelligi poteſt, licet verbis Angeli ad virginem Mariam, τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται υἱὸς θεοῦ, illud probare, præter Autores th. 13. nominatos, *Socinus* contra Bellarminum p. 217. & ſeqq. fervidiſſimè contendat, ſicq́; blaſphemum *Serveti* dogma ex orco revocare conetur. Humana enim Chriſti natura neutiqvam à Deo Patre ejusq́; eſſentiâ genita, ſed per operationem toti S. S. Trinitati communem producta eſt. Si verò Chriſtus homo hâc ratione, ut volunt adverſarij, à Patre fuiſſet genitus, utiq; 1. in hoc Melchizedechi antitypus eſſe non potuit, qvod ἀπάτωρ reſpectu humanitatis fuerit, qvod cum Ep. Ebr. *VII*, 3. è diametro pugnat, utiq́; 2. non minùs Spiritus Sanctus, qvàm prima Divinitatis perſona ipſius Pater dicendus eſſet, qvippe qvi æqvali virtute (non σπερματικῇ ſed δημιουργικῇ, ut loqvitur *Damaſcenus* l. 3. O.F. c. 2.) cum Patre temporariam ipſius generationem promovit Luc. 1, 35. qvod tamen abſonum eſt, & Scripturæ totiq́; Orthodoxæ antiqvitati ignotum, vid. Gerhard. in Exeg. Tom. 1. Loc. art. de perſ. Chr. §. 107. Non ergo Angeli hæc mens eſt loco citato, qvod filiatio

 liatio

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

liationem τ̃ Λόγȣ, qvâ Patrem æternum genitorem habet, cum temporariâ ipſius, qvâ hominis, è ſubſtantiâ Mariæ nativitate confundere vel eandem facere velit, aut eam ad definitum iſtud temporis ſpatium, qvo hæc contigit, aſtringere: ſed id agit, ut perſonæ naſcituræ excellentiam infinitam præmonſtret, qvippe qvæ neqvaqvam ψιλὸς ἄνθρωπος eſſet futura, qvantumvis occultanda in profundiſſima κενώσει ipſius divina gloria eſſet, verùm qvod nihilominùs beneficio unionis hypoſtaticæ intimæ & arctiſſimæ ὑιὸς τ̃ ὑψίςȣ v. 32. & ὑιὸς θεȣ̃ v. 35. in uno ὑφισαμένῳ eſſet non ſaltem appellanda, ſed & reipsâ talis declaranda, idq́; propter æternam illam ac ineffabilem genituram, qvæ omnia ſecula antevertit, hâc enim ratione Angelicam propoſitionem egregiè explicat Apoſtolus his verbis, ὁ θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ 1. Tim. *III*, 16.

XXX. Neq́; hæc Pſaltis verba tum demùm impleta eſſe exiſtimandum eſt, cum Chriſtus ſolenni ſummi Patris teſtimonio Filius ipſius dilectus coram mundo declararetur, tum in publicâ ad officium inauguratione Matt. III, 17. tum poſt in monte Matth. *XVII*, 5. nec enim tum primùm ullâ ratione ab æterno genitore poterat dici genitus, nec divinum illud immenſæ æternitatis *hodie* cum illo finiti temporis momento conſiſtere credibile eſt, cum antea verè filius Dei ob æternam generationem extiterit: atq́; adeò vix veriſimile videtur, in hunc locum Pſ. 2. digitum intendiſſe Evangeliſtam in prodigioſi hujus ἐνθρονισμȣ̃ deſcriptione, cum aliud ſit θεοφάνεια aliud verò θεογεννησία; ſed cœleſti hoc oraculo divinitatem Chriſti ſub abjectâ hominis ſpecie latentem mortalibus patefactam voluiſſe Deum, qvò conſtaret hanc perſonam non nudum eſſe hominem, ſed æterni Patris unigenitum ipſiq́; æqvalem filium, atq́; eapropter ſummâ cum devotione ac veneratione ab omnibus audiendum. Vide egregium *Auguſtini* locum ſupra th. 27. adductum.

XXXI. Illorum verò expoſitio omni planè fundamento deſtituta eſt, qvi de Chriſti è mortuis reſuſcitatione, in qvâ divinæ ipſius majeſtatis clariſſimus promicuit radius, Davidicum hoc oraculum interpretantur; locus enim Act. XIII, 33. unde omne in ſolidum ſuæ ſententiæ præſidium petunt, nihil roboris ei conciliat.

Nam

Nam I. verbis Apoſtolicis ab adverſâ parte citatis, *ταύτην* (*ἐπαγγελίαν*) *ὁ θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις αὐτῶν ἡμῖν, ἀναστήσας Ἰησοῦν, ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται, υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε*, neutiqvam ille ſenſus ineſt, qvem ii fingunt; non enim de Chriſti è mortuis reſurrectione, ſed de ejuſdem in carne juxta promiſſiones exhibitione intelligenda ea eſſe, manifeſtum eſt tum I. è ſcopo Apoſtolico dextrè conſiderato, qvem è verſuum præcedentium 23.26. & 30. collatione geminum eſſe conſtat, I. ut probet Jeſum Nazarenum eſſe verum Dei filium & Meſſiam in V.T. promiſſum, in Novo autem divinitus exhibitum, 2. ut eundem à Judæis interfectum à Patre cœleſti à morte ad vitam perennem revocatum eſſe demonſtret; prius è Pſ. II, 7. probat, poſterius duobus v.34. ſeqventibus vaticiniis ex Eſa. LV, 3. & Pſ. XVI, 10. depromptis confirmat: tum 2. è genuinâ verbi *ἀναστήσας* ſignificatione, qvod vix unqvam in tranſitivo ſenſu reſurrectionem à mortuis, niſi cum determinatione adjectâ, *ἐκ νεκρῶν* vel *ἐν ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ*, deſignat, ut è locis Joh. VI, 39. 40. 44. 54. Act. XIII, 34. & XVII, 31. vel leviter inſpectis liqvet, aliàs autem abſolutè poſitum Chriſti incarnati miſſionem non uno in loco denotat, veluti Act. II, 30. & III, 22. 26. & VII, 37. videre licet, confer Rom. XV, 12. Ebr. VII, 11. 15. ſicut *τὸ* הקים ſimili ſenſu uſurpatur Deut. *XVIII*, 18. 2. Sam. *VII*, 12. & I. Par. *XVII*, 11. qvemadmodum qvoq; è contrario *μεταστήσας* in *removendi* ſeu *amovendi* ſignificato uſurpatur hoc eodem capite v. 22. qvocirca & verſu præcedente 23. ita hoc verbum *ἀναστήσας* reddidit Apoſtolus, *τούτου* (ſc: *τοῦ Δαβὶδ*) *ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος ἤγειρε τῷ Ἰσραὴλ σωτῆρα Ἰησοῦν*: tum 3. è particulâ adverſativâ *δὲ* in verſu ſeqvente, ubi manifeſtè de reſurrectione Chriſti agitur, collocatâ, qvæ oppoſitionem infert inter diſtincta Apoſtolicæ orationis momenta, qvæ pro iiſdem nullâ ratione haberi poſſunt. II. Inconveniens multorumq; abſurdorum ferax eſt illa expoſitio, qvâ filiatio divina *τοῦ Λόγου* à Pſalte hoc loco deſcripta, ad temporariam Deitatis ipſius in reſurrectione declarationem reſtringitur; hoc enim poſito ſeqveretur, *I.* Chriſtum ſecundùm Deitatem eſſe à mortuis ſuſcitatum, cum ſecundùm eam ſolùm ſit à Deo Patre genitus, *II.* Chriſtum ſeipſum genuiſſe, qvi & ſeipſum propriâ

virtute in vitam ſuperatâ morte vindicavit Joh. *II*, 19. 21. & *X*, 17. 18. *III.* reſurrectionem Chriſti filiationis ipſius cauſam eſſe, cum tamen è contrariò eam duntaxat tanqvam conſeqvens qvid demonſtret, confirmet ac coram hominibus declaret Rom. I, 4. *IV.* ſi reſurrectioni, ut tali, actus filiationis adſcribi debeat, impios, qvi etiam divinâ virtute reſuſcitabuntur, non minùs qvàm pios filios Dei fore. Quia verò abſurda & *ἄτοπα* ſunt hæc conſectaria, abſurdum qvoq; illud, unde deducuntur, exiſtit, nempe qvod tum demùm à Patre æterno genitus dicatur Chriſtus, cum ab ipſo à mortuis excitaretur.

XXXII. Locum tandem Ebr. *V*, 5. qvod concernit, neq; is noſtræ interpretationi qvicqvam incommodi affert, neq; adverſam vel tantillùm juvat. His enim verbis, ὁ Χριστὸς οὐχ ἑαυτὸν ἐδόξασε γενηθῆναι ἀρχιερέα, ἀλλ᾽ ὁ λαλήσας πρὸς αὐτὸν, υἱός μου εἶ σὺ, ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε, neutiqvam comma Pſalmi ſecundi ſeptimum de Chriſti ad Officium Pontificatus vocatione exponit, neq; hanc cum ipſius geniturâ à Pſalte commemoratâ coincidere docet, ſed id ſaltem oſtendit, Chriſtum non proprio auſu vel præſumptione, qvâ *αὐτόκλητοι* rapiuntur & decipiuntur, Pontificatus honorem ſibi arrogaſſe, ſed ab illo potiùs eminente hâcce dignitate decoratum eſſe, à qvo ante ſecula fuerat genitus, nempe æterno ſummoq; Patre. Conjuncta itaq; hæc duo ſunt ab Apoſtolo, æterna nimirum Chriſti generatio, ejusq; ad officium Sacerdotale deſtinatio, non verò pro iisdem agnita aut reputata, veluti ex ipſo textu diligentiùs inſpecto planiſſimum eſt.

II. Oraculum
De Chriſti, qvâ hominis, temporariâ in utero Matris Virginis conceptione, Jerem. XXXI, 22. deſcriptum.

Th. I.

QVantumvis illuſtre ac elegans de admirandâ & ſupernaturali humanæ Chriſti naturæ in utero Deiparæ virginis formatione vaticinium ſit, qvod his ſacerrimis Prophetici textus verbis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

bis exprimitur Jerem. *XXXI, 22.* כִּי־בָרָא יְהוָה חֲדָשָׁה בָּאָרֶץ נְקֵבָה תְּסוֹבֵב גָּבֶר, qvæ Latinè reddita ita ſonant, *Creavit Iehova novum in terrâ, fœmina circumdabit virum*, miſerè tamen diverſis variorum interpretamentis adeò divexatum eſt, ut verum ejus ſenſum monſtroſa iſta opinionum diſcrepantia nonnihil ſuſpectum reddiderit. Nam alios ut taceam, neq́; ab hoc diviniſſimo oraculo ſacrilegos ungves abſtinuit *Ioh. Calvinus*, qvin & illud eodem Judaizandi pruritu ſtrophis Rabbinicis corrumpere tentaverit, cui dicam eapropter, qvam meruit, ſcripſit incomparabilis *Hunnius* in Calv. Judaiz. & in Anti-Pareo altero.

II. Inter omnes autem communiſſimæ, ut non minùs veriſſimæ, de Chriſti conceptione interpretationis oppugnatores, qvos alij de induſtriâ refutarunt, nemo ferventiori ſtudio, qvod qvidem ſciam, eam infringere conatus eſt, qvam D. *Ioh. Tarnovius*, Theologus alioqvin noſter haut poſtremus, qvi in Exerc: Bibl: claſſ. 2. Probl. 4. peculiari de hoc dicto inſtitutâ disqviſitione, illud non de miraculosâ Chriſti in utero θεοτόκȣ Matris conceptione, ſed de illuſtri populi Iſraëlitici ante averſi ad Deum converſione, in N. T. per Chriſti & Apoſtolorum prædicationem demùm efficiendâ, intelligendum eſſe, rationibus non è trivio, ut putat, petitis evincere allaborat.

III. Quamvis verò nos mediocritatis noſtræ nobis conſcii, viri doctiſſimi, qvem magni meritò facimus, autoritatem per nos illæſam velimus, nemo tamen indignum, ut ſpero, cenſebit, qvod ſepoſitis præjudiciis nobile verum, qvâ par eſt, diligentiâ indagemus, & accuratè diſpiciamus, num Tarnovianæ ſententiæ fulcra ac fundamenta ejus ſint roboris & ſoliditatis, ut expoſitionem à plurimis optimisq́; receptam evertere qveant.

IV. Argumenta autem Tarnovii, qvibus ſuam ſtatuminare alteramq́; demoliri conatur interpretationem, è primigenio textu petita ac ad compendium redacta hæc ſunt. 1. *Qvod vox* נְקֵבָה *non unius individui, non ætatis, non ſtatus, non conditionis, ſed ſexus totius nomen ſit, atq́; omne qvod mari in eâdem ſpecie, ut principium generationis alterum, in qvo gignitur aliqvid, opponitur, denotet, quomodo ei in Scripturâ innumeris ferè in locis reſpondet* זָכָר*, i. e. Mas, qvi gignit in alio. Qvia verò virgo Mater non eſt totus Sexus*

fœmi-

fœmineus, nec illa ſola eſt omnis in humanâ ſpecie fœmina, reprobari inde magis qvàm probari veterum ſententia poteſt, qvia de uno individuo mari non adjuncto nunqvam in ſacris Bibliis hæc vox uſurpatur, niſi cum Eva ſexum fœmineum ſola repræſentabat, vid. Tarn. in h.l. Paragraph. 4. 5. 6.

V. Verùm qvantùm hâc in parte fallatur Vir Lingvæ Sanctæ cœteroqvin peritiſſimus, ea nominis נְקֵבָה uſurpatio, qvâ non infreqventer certum aliqvod ſeqvioris ſexus individuum deſignat, liqvidò docere poteſt. Etenim individuum fœminei ſexus recens in lucem editum נְקֵבָה appellatur Lev.XII, 5. & 7. Mulier fluxum menſtruum paſſa נְקֵבָה dicitur Lev.XV, 33. qvæ aliàs v.19.& 25. אִשָּׁה vocatur. Individuum fœmineum voto obſtrictum eodem nomine venit Lev. XXVII, 4. Neq; correlatum ipſius זָכָר ſemper in V.T. *ſexum virilem* univerſaliter denotat, ſed etiam ad individua maſculini generis ſingulariter exprimenda adhibetur; nam & de ſolius Sacerdotalis ordinis individuis uſurpatur Lev. VI, 29. & זָכָר perinde ac נְקֵבָה generari Lev. XII, 2. & voto obligari cap. XXVII, 3.5.6.7. dicitur, & filij maſculi unius familiæ הַזְּכָרִים appellantur Joſ. XVII, 2. & Proph. *Ieremias* ſeipſum זָכָר nuncupat c. XX, 15. Adeoq; nec perpetuum nec accuratum iſtud diſcrimen eſt, qvod tantopere urget *Tarnovius* §. 7. inter אִשָּׁה & נְקֵבָה, iisqve in Græco idiomate reſpondentia γυναῖκα & θῆλυ ſeu θήλειαν, LXX. enim Interpretes vocem אִשְׁתּוֹ Gen. VII, 2. per θῆλυ verterunt, & Apoſtolus Rom. I, 26. θηλείας pro individuis fœmineis membris à naturâ datis ad infandam libidinem abutentibus poſuit, adjectoq; pronomine relativo αὐτῶν vocem laxiorem eo modo reſtrinxit, qvem tamen ut planè novum, inſolitum ac inconvenientem *Tarnovius* §. 8. explodere non veretur.

VI. Certum eqvidem eſt τὸ נְקֵבָה hîc non omninò in ſenſu conſveto ac ordinario, ſed aliqvantiſper deflexo, poſitum eſſe, qvod omnium Interpretum expoſitiones, licet oppidò diverſæ, indigitant: ea tamen ſignificatio admittenda potiùs eſt, qvæ minùs à nativâ vocis indole recedit, qvàm omninò translatitia introducenda, adeoq; cum propiùs ad genuinum ſenſum ea interpretatio accedat, qvâ נְקֵבָה unum è ſexu muliebri individuum deſignare ſtatuitur, qvàm ſi multitudinem qvandam hominum ex utroq;

ſexu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ſexu collectam translatè denotare fingatur, ea utiq; huic meritò præferenda eſt. Quod enim ה *Hajediah* hîc deſiderat *Tarnovius*, qvod ad individuum determinandum neceſſariò reqviri exiſtimat §. 6. ſicut nomen alias generale עַלְמָה Eſa. *VII*, 14. adjectâ literâ iſtâ emphaticâ ad certam perſonam reſtringitur, illa, inqvam, ratio licet ſpecioſa, ſolida tamen non eſt; nam neq; ſemper iſtud ה ubi adeſt demonſtrandi munere fungitur, aut perpetuò articulus eſt ὁρισικὸς, neq; cum abeſt, ſubjectum eapropter indefinitum relinqvitur, qvod utpote certiſſimum, ipſe D. *Tarnovius*, veluti ſui immemor, alibi fatetur ſtrenueq; tuetur Exerc: de loco 1. Chron. *XVII*, 17. §. 15. & de loco 1. Cor. *XV*, 29. §. 28.

VII. Vanus proinde *Tarnovii* metus eſt, qvo Helvidio aliisq; virginitatis Mariæ deriſoribus argumentum hâc expoſitione ſuppeditari ſibi perſvadet, qvo fidem blaſphemo ſuo dogmati concilient, dum eos hoc modo ratiocinari poſſe ſuſpicatur §. 11. *Omnis* נְקֵבָה *parturiens gignit cum* זָכָר *ſeu mare. Maria eſt* נְקֵבָה *parturiens.* E. Major enim argumenti propoſitio, niſi limitetur, abſolutè vera non eſt, ſed hâc duntaxat cum reſtrictione admitti poteſt, ſi naturæ ſolùm ordo ſervetur, nec infinita Dei virtus naturam ſupergreſſa miraculum efficiat. At Maria eſt qvidem נְקֵבָה, ſed non ſecundùm ordinariam naturæ conſvetudinem parturiens, cum miraculoſum hocce effectum ſupernaturali Sp. S. operationi ac ἐπισκιάσει in ſolidum aſſcribatur Luc. I, 35. ipſe enim modo imperſcrutabili illapſus in uterum ſelectæ virginis, è puriſſimis ſangvinibus humanam naturam exterſo omni peccato Principi vitæ formavit, univitq; ita, ut admirabili planè ἑνώσει λόγος σὰρξ fieret, & ineffabili complexu ſanctificatus tenerrimæ virginis uterus θεάνθρωπον & θεάνδρα contineret, ſicq; ἐργαςήριον illud fieret, ἐν ᾧ ἐνυμφεύσατο ὁ λόγος τὴν σάρκα, prout *Proclus Archiep. Conſtantinop.* loqvi amat. Conſimile alias argumentum eâdem facilitate è nomine γυναικὸς Mariæ Virgini non uno in loco N. T. attributo erui poſſet, ſi modò major non limitata procederet. *Omnis* γύνη *parturiens gignit cum ſuo correlato, qvod eſt* ἀνὴρ, *Maria eſt* γύνη *parturiens* Matth. I, 20. 24. Joh. II, 4. & XIX, 26. Gal. IV, 4. E. Vox enim γύνη magis propriè relationem ad virum connubialem importat, & ubiq; in N. T. [ea loca ſi excipi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ás, in qvibus aut virginem θεοτόκον denotat, aut allegoricè myſterium aliqvod repræſentat, aut ſexum ſaltem muliebrem deſignat, unumq; præterea Luc. XXII, 57.] de *maritatâ floreq; virginitatis deſtitutâ fœminâ* uſurpatur. Si verò hoc vocabulum intemeratæ ac puriſſimæ Virgini, in cujus arvo atq; ſulcis naturæ colonus ſine viri ſemine ortus eſt, accommodari qveat, ſalvâ manente illibatâ ipſius integritate, vocem נְקֵבָה, quæ etiam infantem fœmellam nondum maturam viro nec plenis nubilem annis deſignat Lev. XII, 5. ad Mariam referri quid prohibet?

VIII. Verùm non hoc ſaltem telo pugnat *Tarnovius*, ſed etiam è verbo תְּסוֹבֵב ſuæ ſententiæ ſubſidium petit, quod cum nusquam aliàs in Scripturâ V. T. *conceptionem* vel *geſtationem in utero* deſignet, quippe quæ aliis verbis exprimi ſolet, utpote חום, יָחַם, הָרָה; analogiam Scripturæ in tali ejus ſenſu oſtendendo dari non poſſe contendit §. 13. Sed ingenuè hoc largimur *Tarnovio*, inſolitam eſſe Scriptoribus ſacris hanc verbi סָבַב ſignificationem, quam hoc loco retinendam arbitramur, eoq; ipſo extraordinarium ac admirandum ejusdem Conceptionis modum ac rationem tacitè indigitari venerabundi agnoſcimus; non tamen repugnare nativam verbi generalis indolem, qvin hujusmodi actum repræſentare qveat, nec ipſe Tarnovius diffitetur, nec difficile probatu eſt: etenim Exod. XXVIII, 11. & XXXIX, 13. [alia ut mittam loca, in qvibus non planè inconveniens præſenti negotio ſenſus eſt] de gemmis auro cœlato inſertis atq; incluſis uſurpatur, unde per egregiam Metaphoram ſine ullo incommodo ad Chriſti θεανθρώπȣ, veluti pretioſiſſimæ margaritæ cœleſti rore fæcundatæ, ſtupendam in uteri Virginalis, ceu mundiſſimæ conchæ, ambitu complexionem deſignandam transferri poteſt. Quò accedit appellatio menſtrui Chaldæis ab hoc verbo derivata, & ſimul qvod hoc idem verbum *cauſandi* ſignificatione 1. Sam. XXII, 22. adhibetur, אָנֹכִי סַבֹּתִי בְּכָל־ נֶפֶשׁ בֵּית אָבִיךָ, qvod LXX. vertunt ἔγω εἰμι ὁ αἴτιος τῶν ψυχῶν, Thargum גרמת אסתקפא i. e. *præbui occaſionem*, nec optimi alij Interpretes diverſè exponunt, unde & סִבָּה ab hac deſcendens radice *cauſam* non uno in loco ſignificat, eò qvod hæc effectum intimo complexu foveat. Quæ qvomodo ad ſcopum præſentem applicari qveant, cuivis obvium eſt.

IX. Sin

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

IX. Sin verò nondum acqvieſcere velit *Tarnovius*, ipſum utiq; urgebimus, ut unicum ſaltem locum producat, in qvo verbum hoc סָבַב amicum talem amplexum deſignat, qvo ſponſa ſponſum, conjunx maritum, ambire & circumplicare ſolet, qvalem hoc loco denotari exiſtimat: at neq; ullo planè exemplo è Sacrâ Scripturâ petito ſuam interpretationem confirmare valet, cum ferè ſemper iſte amplexandi actus verbo חָבַק exprimatur, etiam qvando ſpiritualis Chriſti & Eccleſiæ complexus innuitur, ut Cant. II, 6. & VIII, 3. Quod enim adverſus iſta loca excipit *Tarnovius* §. 14. τὸ חָבַק *aut de corporali ſaltem amplexu, aut de eo ſolùm, qvo unus unam vel una unum amplectitur, uſurpari, idq; in Canticis Eccleſiæ attribui, qvia ea ibi allegoricè ut unica ſponſa deſcribitur, idq; ut virgo vel ſponſa jam ducenda ſponſiq; brachiis amplectenda, hîc verò aliud verbum adhiberi, qvia diversâ ratione, ut ducta uxor & reconciliata Mater cum filiis ad maritum antea deſertum reverſa, eumq; iterum circumdans depingitur*, iſtud inqvam frivolum nimis effugium eſt; qvemadmodum enim Eccleſia in Canticis ut una conjux, vel potiùs honeſta matrona [non enim omnia prædicata illibatam Virginem pro ſubjecto habere videntur Cant. *I*, 16. *II*, 6. *III*, 1.] introducitur, ita non minùs hic Iſraëlitica Eccleſia, [ſi ea aliàs hic intelligenda ſit] ut unica uxor, qvæ cum viro injuriâ affecto in gratiam redit, conſideranda proponitur.

X. Sed nec tertiam vocem גֶּבֶר intactam relinquit *Tarnovius*, quin eam Chriſto naſcenti infanti ac puerulo convenire poſſe planè neget §. 16. 17. eò *qvod illa genuinâ ſignificatione virum robuſtum viribusq; valentem denotare ſoleat; Chriſtus autem recens à Mariâ conceptus vel in lucem editus, ac nondum virile robur maturamq; ætatem adeptus* [*cum τῇ ἡλικίᾳ creverit* Luc. II, 52.] *nusqvam in Scriptura* גֶּבֶר *ſeu vir appelletur, ſed βρέφος*, παῖς, υἱὸς, בֵּן, יֶלֶד &c. Verùm quamvis non diffiteamur τὸ גֶּבֶר ob ſuos à verbo גָּבַר acceptos natales fortem proprieq; dictum virum [quippe à virtute denominatum] nativo ſenſu ſignificare; laxioris tamen ambitus eſſe hoc vocabulum, quàm ut ad ſolam iſtam ætatem ac qualitates concomitantes reſtringi poſſit, tutò aſſerimus. Nam & aliquando diſtributivam ſignificationem non ſecus ac τὸ אִישׁ admittit, & pro *aliqvo* ſeu *qvovis*

 uſur-

uſurpatur Pſal.XXXIX,9. & XL,5. & LXXXVIII,5. Job.XIV,10. 14. & XXII,2. Jer.XVII,5.7. Joel. II,8. Prov.XXIX,5. Imò Job.III, 2. גָּבֶר pro embryone maſculo recens concepto diſertè ponitur, qvem locum magnoperè ſibi obſtare animadvertens *Tarnovius*, variis eum exceptionibus eludere conatus eſt lib.2.Exerc. claſ. 1. loc.3. §. 7. 8. 9. *I. Qvod hîc univerſus contextus qvid per* גָּבֶר *intelligendum ſit doceat, non verò item apud Ieremiam*: ſed Reſp. ſufficere illud uno exemplo probaſſe, qvod naturæ vocis non repugnet, infanti ut tribuatur: Imò è contextu Prophetico non minore facilitate iſtum ejusdem vocabuli ſenſum probari poſſe, qvæ ſeqventur, evincent. *II. Qvod diverſa ſint prædicata* גָּבֶר הוֹרָה & גָּבֶר סוֹבֵב. R. Principium peti, qvoad ſenſum enim hæc duo coincidere contendimus. *III. Rem ſæpiùs in Scripturâ deſcribi non qvalis ſit, ſed qvalis futura ſit.* R. Nos cum gratiâ illud acceptare, adeoq; qværere, qvid Chriſtum jam infantem *Virum* appellari prohibeat, qvi tandem accedente maturâ ætate in virum demum perfectiſſimum erat evaſurus, nomenq; illud גָּבֶר κατ᾽ ἐξοχὴν vendicaturus Pſ. XLV, 4. Ezech. IX, 2. 3. 11. & XLIII, 6. 7. Zach. I, 8. 10. In Chaldaicâ qvoq; Paraphraſi *Onkeloſi* hoc nomen Caino jam infanti nuperq; in lucem edito tribuitur, dum matris Evæ de ipſo verba ita transferuntur Gen. IV, 1. קניתי גברא &c. Et qvod utramq; hic facit paginam, Meſſias ille noſter, qvi ut puer nobis recens natus Eſa. IX, 5. deſcribitur, גִּבּוֹר [qvod majus qvam גָּבֶר eſt] expreſsè appellatur, jure ſanè meritiſſimo, ob ineffabilem illam ac arctiſſimam divinæ naturæ cum humanâ conjunctionem, ſtatim in primo conceptionis momento factam, cumq; eâ individuo nexu cohærentem divinorum ἰδιωμάτων realem participationem, cujus beneficio etiam infans ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων Phil. II, 6. & πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος ἐν αὐτῷ σωματικῶς κατοικοῦν erat Col. II, 9. Qvantô igitur magis in primâ etiam infantiâ גָּבֶר ſalutari meruit?

XI. Nec deſunt præterea in contextu Prophetico evidentia momenta, qvibus interpretationis à nobis jam defenſæ veritatem ulteriùs aſtruere, Tarnovianam vero deſtruere, non erit moleſtum. Ea autem depromimus 1. E Loci, in qvo fœminea hæc viri circum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

cumdatio contingere debebat, determinatione, qvod nimirum ille non *cœlum* ſed *terra* foret, nec qvævis terræ pars, ſed ea duntaxat, *qvæ montes Somron, Ephraim, & Zion includit* v. 5. 6. *in qvâ ſita eſt Rama* v. 15. *qvæ civitates Iſraeliticas continet* v. 21. id eſt, *terra Iuda* v. 23. Cum verò illa Eccleſiæ Judaicæ ad Chriſtum converſio, qvam hîc intellectam vult *Tarnovius*, non in ſolâ Judæâ, ſed & extra eam in aliis orbis partibus ſucceſſu temporum N. T. facta ſit, is ſolùm actus hic indigitatus credetur, qvi nusqvam in universâ terra extra ſolam Judææ regionem accidit, nempe admiranda Dei & hominis in utero Virginis conceptio.

XII. Secundum momentum è ſtupenda prædictæ rei novitate petimus, qvæ his verbis innuitur, *Creavit Iehova novum in terra.* Quanquam enim non eamus inficias, illud aliquando in ſacris monumentis *novum* dici, qvod non ſimpliciter & ἁπλῶς, ſed κατά τι ac modo qvodam novum eſt, qvod tam ſtudioſè Tarnovius inculcatum vult §. 57. 58. Interim ubi nec è natura rei, nec è textus viſceribus, nec è Scripturæ analogiâ probari poteſt, illud qvod novum dicitur, non abſolutè ſed modificatè ſaltem novum eſſe, tum certè qvod ſine limitationis ullius indicio novum vocatur, pro abſolutè ac ſimpliciter novo agnoſcendum eſt, adeoq; cum novitas illa abſolutè cum iſto circumdandi actu connexa [ut interim Emphaſin verbi בָּרָא taceam, qvod plerumq; prodigioſi operis effectionem exprimit] cum Iſraëlitarum ad Jehovam converſione, qvam ſæpiùs antea, licet diverſo modo, contigiſſe liqvet, conſiſtere neqveat, optimè verò miraculoſæ Meſſiæ in purificato Matris utero conceptioni conveniat, hæc qvoq; res iſta verè nova à *Ieremia* prænuntiata veriùs ſtatuitur.

XIII. Ex objectorum, qvibus novum hocce denunciatur, qvalitate tertium producimus momentum. Si enim de ſpirituali Eccleſiæ complexu, qvo ea ſuo tempore per veram fidem Chriſtum Dominum ſuum circumdatura erat, ſermo hic eſſet, ſanè eos, qvibus mira iſta res prædicitur, nondum ad Deum converſos, ipſumvé fide complexos, ſed averſos ac infideles adhuc fuiſſe oportet, niſi Prophetica oratio, qvæ ad eos excitandos ac commovendos dirigitur, fruſtranea ac ſupervacanea cenſenda ſit. At illos, qvos Propheta alloqvitur, jam converſos Deumq; complexos fuiſſe inde patet,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

qvod ut *Populus plangens, caſtigationem Dei agnoſcens, converſionem ipſius implorans, Deum Deum ſuum faſſus, femur ſuum percutiens, confuſionem & ruborem ob pueritiæ opprobrium deplorans,* deſcribantur v.18.19. Si verò jam tum Deum ut verè fideles complexi fuere, jam qvoq; *fœmina* illa [ſecundum *Tarnovii* mentem] *virum circumdans* extitere, & qvâ igitur ratione illud, ut novum, & longo poſt temporis intervallo tandem eventurum illis promitti aut indicari poterat? Quod enim v. 22. בַּת הַשּׁוֹבֵבָה i. e. *filia rebellis* ſeu *recedens* appellentur Iſraelitæ, eo tædium ſolùm terræ ſanctæ, & intempeſtiva illa oſcitantia, qvâ omnem in Patriam redeundi curam abjecerant, acriùs perſtringitur, & qvò è contrario hâc ἀμελείᾳ expulsâ, fervidum repetendæ Patriæ deſiderium exulum pectoribus ingenerare poſſit Propheta, egregiè ac appoſitè miraculi hujus novitate, qvod Meſſias tot calidis fidelium expetitus votis, illorum demum Patriam terram ſuâ conceptione & nativitate illuſtraturus erat, ipſorum animos percellere & extimulare ſatagit, ut maturè hâc ſpe accenſi eò revertere & collapſam Rempublicam reſtaurare deſiderent, veluti è commatis præcedentis 21. ſedulâ collatione manifeſtum eſt.

XIV. Eandem nobiſcum hujus loci expoſitionem utrâq; manu amplexi ſunt Interpretum haut poſtremi. Etenim ſi fides *Galatino* l.7. c.14. habenda ſit, è Rabbinorum vetuſtiſſimorum numero R. *Hunna* & *R. Iehoſvas* de Meſſiæ è muliere nativitate hunc locum interpretati ſunt. Nec aliter eum intellexere *Cyprianus, Auguſtinus, Hieronymus, Bernhardus* aliiq; optimi Eccleſiæ Patres & Doctores; imprimis verò incomparabilis noſter *Lutherus*, qvem licet *Tarnovius* ſuæ explicationi in gloſsâ Biblicâ marginali Germanicâ patrocinari fruſtra ſibi perſvadeat, ipſe tamen perſpicuè ſatis qvid hâc de re ſentiat tom.8. Jen. Germ. tract. de Schemhamphoraſch f. 133. 134. declarat, dum ex profeſſo interpretationem hujus dicti noſtræ planè conformem tradat, & erroneam Rabbinorum gloſſam [puta *R. Sch. Iarchij* & *R. David Kimchij*] cum qvâ maximam partem Tarnoviana expoſitio convenire videtur, de induſtriâ refellat. Conſuli præterea poſſunt nobis hâc in parte planè ὁμόψηφοι *Hunnius* in Anti-Pareo altero, *Glaſſius* in Onomatol. Meſſiæ Proph. cl. 2. nom. 4. *Dorſchéus* diſp. de h. l. *Dannhawe-*

hawerus in Χριστοσοφ. Sect. 1. art. 2. & *Cornelius à Lapide* in h. l. Diverſas verò alias diſſentientium Interpretũ expoſitiones recenſendi ambitioſâ operâ, ne multas cartas compleamus, ſuperſedem⁹.

III. Oraculum
E qvartâ Orationis Dominicæ petitione Matth. VI. 11. depromptum.

Th. I.

Mirum in modum eruditiſſimos Interpretes vox ἐπιούσιος, qvæ in ſolenni precandi formulâ ab ipſo Servatore præſcriptâ pani poſtulando determinationis loco additur Matt. VI, 11. & Luc. XI, 3. torſit ac exercuit, ut de germanâ propriâq; ejus ſignificatione incertos eos animisq; ſuſpenſos fuiſſe diſcrepantes eorum expoſitiones abundè doceant: imò iis difficultatibus qvosdam perplexa hæc nec ſatis probè cognita vox implicuit, ut à ſummi Autoris mente ac ſcopo non levi errore declinaverint.

II. Qui enim hoc vocabulum præpoſitioni ἐπὶ & nomini οὐσία ſuam debere originem arbitrati ſunt, aut ἐπιούσιον *ſuperſubſtantialem*, vulgatam ſecuti verſionem, reddiderunt, [ac ſi ὑπερούσιος eſſet] & de ſpirituali animæ cibo, paneq; illo, qvi de cœlo deſcendit Joh. VI, 33. 50. 51. 58, carne nimirum Chriſti ſpiritualiter & ſacramentaliter manducandâ, intellectum voluerunt, ut *Th. Cajetanus* & *Adamus* à *Contzen* in h. l. nec non *Seb. Barradas* l. 7. conc. & harm. Evang. c. 24, à qvorum partibus etiam D. *Hieronymus* ſtare videtur, qvi idem eſſe ἐπιούσιον cenſet ac περιούσιον apud LXX. Interpretes, qvibus hæc vox uſurpata Ebræo סְגֻלָּה Deut. VII, 6. & XIV, 2. & XXVI, 18. reſpondet, & à *Symmacho* per ἐξαίρετον i. e. *eximium* ſeu *præcipuum* redditur: aut ἐπιούσιον ita dictum putarunt, qvaſi τὸν ἐπὶ τὴν ἡμῶν οὐσίαν ἐπαρκοῦντα, ut *Beza* inqvit, vel τὸν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζοντα, ut *Corn. Ianſenius* comm: in conc: Evang. c. 41. *Svidam* ſeqvutus loqvitur, atq; ita hâc petitione victum pro temporariâ vitâ ſuſtentandâ neceſſarium, & ſubſtantiæ noſtræ alendæ ſufficientem flagitari exiſtimarunt, prout & *Theophylactus* in h. l. per hunc ἄρτον ἐπιούσιον, eum qvi τῇ οὐσίᾳ καὶ συστάσει ἡμῶν αὐταρκής ἐστιν intellexit,

&

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

& *Baſilius* in Regulis brevioribus qv. 252. τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρησιμεύοντα interpretatus eſt, qvos *Maldonatus* & *Aretius* ſeqvuntur. Quin & nonnulli haut uno vocis hujus ſenſu contenti, tum ſpiritualem, tum corporalem cibum ac alimoniam ejus ambitu comprehendi opinati ſunt, ut *Auguſtinus* hom. 42. & Serm. de tempore 182. *Theophylactus*, *Salmeron*, *Contzen*, *Barradas*, & alii.

III. Verùm cum certiùs ſit, qvàm ut probatione indigeat, panis nomine, non ſpirituale animarum pabulum hoc loco indigitari, ſed qvæcunqve ad corporum noſtrorum neceſſitatem vitæq́; hujus temporariæ uſum reqviruntur, deſignari, cum aliàs *I.* hæc qvarta petitio cum ſecundâ coincideret. *II.* temporalia bona è Dominicâ oratione planè eliminarentur: deinde cum vix qvoq́; ἀπὸ τῆς οὐσίας dici poſſit ἐπιούσιος, ſed ejus loco ἐπουσιώδης vocari ſoleat, qvicqvid ſubſtantiæ accedit, eaq́; adeò ſignificatio aliena hîc ſit, qvam fingunt nominati Interpretes, cum & ipſe *Henr. Stephanus* in Theſ: Gr: Ling: ingenuè fateatur ſe conſimilis ſignificationis nominis οὐσία exemplum deſiderare, diſpiciendum itaq́; nobis erit numné convenientior explicatio dari poſſit, qvæ ad mentem Servatoris, ipſiusq́; vocis genium propiùs pertingat, de qvo eò minùs deſperamus, qvò faciliorem ei adinveniendæ viam maximi viri *Flacius* in clavi p. 1. col. 1004. *Grotius* in Annotationibus ad h. l. & *Heinſius* in Exerc: ſacris aperuerunt.

IV. Vix autem commodior nominis hujus notatio afferri poterit, qvàm ſi ἀπὸ τῆς ἐπιούσης deducatur, qvæ vox *craſtinam* ſeu *poſteram diem* Act. VII. 26. XVI. 11. XX. 15. XXI. 18. XXIII. 11. denotat, qvomodo τὸ ἐπιὸν omne qvod in poſterum ingruit vel futurum eſt deſignat [ἀπὸ τοῦ ἐπίειμι, unde ἐπιὼν χρόνος *Platoni*, ἐπιούσα ὥρα, ἐπιὼν μὴν & ἐπιόντα πράγματα *Demoſtheni*, ἐπιὸν σέλας *Euripidi* denominantur] atq́; ita planiſſimâ hacce λέξει convenientiſſimè ille panis à Servatore qvotidie petendus præcipitur, qvi in poſterum per totum ingruentis ætatis tempus corporibus noſtris alendis & ſuſtentandis ſufficiat, ſicq́; ejus menſuræ ſit adæqvatus, ut omne qvod excurrat aut abundet hâc notione excludatur. Hâc autem ratione intellectus ἄρτος ἐπιούσιος optimè cum illo לֶחֶם חֻקִּי i. e. *pane demenſo*

ſeu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

ſeu *ſtatuto* congruit, qvem Salomon à Deo expetit Prov. XXX. 8. ubi LXX. τὰ δέοντα καὶ τὰ αὐτάρκη habent, idemq́; eſt qvod τροφὴ ἐφημέριος apud Jac. II. 15.

V. Accedit huic expoſitioni non levis ponderis argumentum ab autoritate *Hieronymi*, qvi ſe Ebræum Evangelii codicem conſuluiſſe, ibiq́; τὸ מָחָר reperiſſe teſtatur, qvod extra controverſiam *craſtinum* Ebræis deſignat, non tamen perpetuò *proximè ſeqventem diem* ſtrictè denotat, ſed laxiori nonnunqvam ſignificato *qvicqvid in poſterum imminet* complectitur, ut Exod. XIII. 14. ubi LXX. habent μετὰ ταῦτα, Deut. VI. 20. Joſ. IV. 6. & XXII. 24. 27. 28. Prov. XXVII. 1. &c: qvo ſenſu & αὔριον uſurpatur Luc. XIII. 33. Elegante ſimiliter Ebraiſmo ἡ ἐπιοῦσα omne id vitæ ſpatium, qvod nobis emetiendum reſtat, ſignificat, ἐπιούσιον verò qvicqvid ei ſpatio ſufficit, atq́; ita hâc prece omnem nos Deo curam committere vult Chriſtus, ut qvantum vitæ ſupereſt, tantum nobis ſuppeditet alimentorum, non tamen ut poſcamus omne id ſimul nobis repræſentari, cum valdè illiberalis ſit animi Deo non niſi ſub pignore credere.

VI. Non verò eſt, qvod à frigidâ *Bezæ*, *Adami à Contzen* aliorumq́; objectione nobis metuamus, qvi hanc qvartæ petitionis interpretationem cum ipſius Servatoris præcepto, nos εἰς τὴν αὔριον μεριμνᾶν prohibentis Matth. VI. 38. & cum Chriſtianâ pietate adverſâ fronte pugnare dictitant. Non enim piam illam modicamq́; curam ac ſolicitudinem hâc monitione Chriſtus damnatam vult, qvâ fidelis homo egeſtatem humanam, miſeriasq́; mortalitatis comites agnoſcens, opem à Deo levamenq́; petit; ſed impiam ſaltem eam Ethnicisq́; propriam, qvæ & nimia eſt [qvippe τὴν νοῦν μερίζουσα] modumq́; ac finem neſcit, & Deum non reſpicit, nec ab illo bona ulla ſperat aut expetit: dumq́; è contrario nos ἐπιούσιον ἄρτον à ſummo bonorum omnium diſpenſatore flagitare docet, ea ſolùm à nobis poſtulari permittit, qvæ eſui, potui, cultuiq́; corporis, qvæq́; ad vivendum nobis ſunt neceſſaria, διατροφὰς ſcilicet καὶ σκεπάσματα ut *Paulus* loqvitur 1. Tim. VI. 8. neq́; ea in anteceſſum, ſed qvantum ad præſentem qvamvis temporis particulam ſat eſt. Qvod egregiè adverbium à Servatore additum σήμερον,

 cujus

cujus loco *Lucas* τὸ καθ' ἡμέραν, Syrus כל יום habet, declarat, qvo omnem à precibus noſtris tum diffidentiam, tum aviditatem exterminare conatur, ne ὀλιγοπίστους eos imitemur, qvi incerti qvamdiu ſint victuri, ſenectutis expectationem avaritiæ prætendunt ſuæ, & ſæpè qvò minus eſt viæ, eò plus qværunt viatici, exemplo iſtius Epicuri de grege porci Luc. XII. 19. ut & eorum, de qvibus Jac. IV. 13. 14. Sed qvemadmodum qvi in familiam viri boni, ſapientis ac divitis recipiuntur, non poſtulabunt ut alimenta in multos annos ſibi in cellis recondere liceat, ſed dimenſo diurno contenti erunt, ita nobis non annua, non menſtrua, ſed diurna ſaltem, qvantumq; ætati in poſterum agendæ ſufficiet, à Deo expetenda ſunt. Confer *Chemn.* harm. cap. 51.

VII. Alludit itaq; hâc precatione Chriſtus ad notiſſimam illam de Manna, nobili divinæ providentiæ pignore, hiſtoriam Exod. XVI. 19. 20. 21. ſempiternæ memoriæ proditam, qvod veluti panem iſtum qvotidie cœlitus largiebatur Dominus, adeoq; cum in ſingulos duntaxat dies, non εἰς αὔριον, colligere jubebantur Iſraëlitæ, ſi verò qvid ultra diurnum dimenſum colligerent, & reliqvias in craſtinum ſervarent, corruptas eas vermibusq; ſcatentes reperiebant: eodem modo panem neceſſarium σήμερον καὶ σήμερον ſeu τὸ καθ' ἡμέραν petere & exſpectare ſuos velit, qvò vera fiducia adſit, cura autem Ethnica abſit, impiaq; ſolicitudo, qvâ animi mirè μετεωρίζονται Luc. XII. 29. ut à largo iſto Benefactore qvisq; pendeat, & curam animumq; in eum defigat. Nullâ verò ratione hic ἄρτος ἐπιούσιος cum לֶחֶם הַתָּמִיד i. e. *Juge iſto pane*, cujus Num. IV. 7. fit mentio, convenire videtur, ut *Heinſius* exiſtimat, cum neq; qvoad verba, neq; qvoad rem ipſam, qvicqvam inter ea affinitatis deprehendere liceat.

VIII. Ne nova hæc atq; inſolens appareat expoſitio, qvam modò propugnavimus, videatur *Ambroſius* l. 5. de ſacr. c. 4. qvi ἐπιούσιον ἄρτον τὸν εἰς ἐπιοῦσαν ἡμέραν interpretatus est. *Syrus* qvoq; *Paraphraſtes* non diſpare ſenſu reddidit לחמא דסונקנן i. e. *panem indigentiæ* ſeu *neceſſitatis noſtræ*, qvo ſcilicet per totam vitam opus habemus. Nec diſſenſit Arabs, qvi *panem ſufficientiæ noſtræ* dixit. *Eraſmus*, *Strigelius* & *Piſcator* in h. l. eandem ἑρμηνείαν

admi-

admiſerunt. Nec multùm abluſere à ſcopo, qvi *qvotidianum* verterunt, licet enim vox ipſa primigenio vocabulo exactè preſsèq; ſatis non reſpondeat, genuinum tamen ejus ſenſum ac ſupremi Doctoris mentem commodè feliciterq; exprimit.

Locus IV.

Coloſ. III. v. 11.

De oppoſitione Apoſtolicâ inter Barbarum & Scytham.

I.

CLaudimus hanc noſtram Exercitationem loco Paulino in Epiſtolâ ad Coloſſ. c. III. 11. in cujus expoſitione omnibus ferè interpretibus aqva hæſit: dum enim explicandum iis incubuit, qvid ſibi velit *ἀντίθεσις* illa Apoſtolica inter *Barbarum* & *Scytham*, qvam reliqvis inter *Judæum* & *Græcum*, inter *circumciſionem* & *præputium*, inter *Servum* & *liberum* loco ſignato interſeruit, non ſaltem æſtuarunt, ſed & ceſpitarunt.

II. Mira imprimis eſt *Epiphanii* in hunc locum commentatio, qvi in *reſponſione ad Epiſtolam Acacii & Pauli* operi de 80 hæreſibus præfixâ, nec non in ipſo *Panario* [uti vocat] *contra easdem hæreſes* l. 1. p. 5. è nominibus iſtis *Barbari* & *Scythæ*, duas diverſas easq; antiqviſſimas Sectas ſeu hæreſes elicere conatur, qvas *Barbariſmum* & *Scythiſmum* appellat, qvemadmodum & è præcedente Judæi & Græci oppoſitione alias duas, *Hellenïſmum* ſcilicet & *Judaiſmum*, ſponte fluere arbitratur. *Barbariſmum* autem ac *Scythiſmum* hoc modo deſcribit, qvod *ille* ab Adamo usq; ad Noachi tempora extiterit, ſic dictus, qvod vetuſtiſſimi mortalium nullum certum ducem ſeqverentur, nec inter ſe conſentirent, ſed unusqvisq; pro ſuâ voluntate vitam inſtitueret, ac pro lege ſuum qvilibet arbitrium haberet: *Scythiſmum* verò à Noachi ætate usq; ad Babylonicæ turris exædificationem, ac paucis poſt eam annis, ad tempora Peleg & Reu duraſſe exiſtimat. De *Hellenïſmo* qvoq; ac *Judaiſmo* plura ibidem habet, qvæ inde peti poſſunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

III. Hanc *Epiphanii* opinionem non planè improbavit Maximus *Scaliger*, in animadverſionibus ad Chronica Euſebiana, nec diverſum ſtatuiſſe videntur doctiſſimus *Druſius* Præterit. l. 7. *Strigelius* & *Aretius* in h. l. Qvid tamen de eâ ſit judicandum, vir diffuſæ eruditionis *Gerhar. Jo. Voſſius* lib. 1. de Orig. & Progr. Idololatriæ c. 3. luculenter oſtendit, dum Scythas non ſatis convenienter ante Serugum memorari dicit, qvippe qvi citra dubium Babylonicâ turri ſint longè poſteriores, ipſaq; hæc nomina *Barbariſmum* ac *Scythiſmum* parùm huic rei idonea, nec aliunde qvàm è malè intellecto loco Apoſtolico Col. III. hauſta eſſe demonſtrat.

IV. Eraſmus Roterodamus, Salmeron & *Cornelius à Lapide* aliâ viâ progrediuntur, dum *Scythas* hâc ratione *Barbaris* opponi autument, non qvod non ſint Barbari, ſed qvod præ omnibus Barbaris maximè ſint Barbari, ita ut alii Barbari cum iis comparati videantur non eſſe Barbari, ſed illis oppoſiti. Nec deſunt præter hos alii, qvi non inter ſe oppoſitos, ſed conjunctos ſaltem ab Apoſtolo & pro iisdem habitos eſſe *Scythas* ac *Barbaros* opinantur. Sed num cum veritate hæ interpretationes congruant, an ſecus, ſecutura docebunt.

V. Nobis ſanè non poterit non iſta hujus loci explicatio, utpote optima & convenientiſſima probari, qvam Nobiliſſimũ illud ſeculi noſtri ornamentum *Cl. Salmaſius* in Oſſilegio lingvæ Helleniſticæ proponit ac tuetur, dum veram hîc inter *Barbarum* & *Scytham* ἀντίθεσιν agnoſcat, qvâ ſolertiæ & ruditatis reſpectu in oppoſitis lancibus collocentur. Mens Clariſſimi *Salmaſii* hæc eſt. Qvemadmodùm Apoſtolus cum *Judæum Græco* antea oppoſuit, divinam ſapientiam, qvâ Judæi pollebant, humanæ qvam Græci ſibi arrogabant ſapientiæ, qvæ tamen apud Deum inſipientia eſt, ex adverſo ſtatuit: ita cum hîc diverſâ ratione Barbaros & Scythas in duabus ponit extremitatibus, prudentiam humanam cum humanâ inſcitiâ ac ſtultitiâ confligere facit. Qvâ in causâ licet Græcos aliàs ac Barbaros adverſis frontibus pugnantes conſtituere potuiſſet, veluti alio loco Rom. I. 14. fecerat, Græci enim σοφοὶ, Barbari autem omnes ἀσύνετοι ſunt, qvoniam tamen vox Ἕλλην Jam antea in causâ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

religionis Judæo oppoſita ſedem occuparat, vitandæ itaq; ambiguitatis ſive obſcuritatis gratiâ, qvæſivit inter Barbaras gentes eam, qvæ minimè omnium eſſet Barbara, qvæq; ſapientiâ ac prudentiâ humanâ cæteris præcelleret: cumq; ea gens Scythica omninò eſſet, cum *Barbaro* utiq; *Scytham*, ut ſolertem ac ſapientem cum rude ac inſipiente, compoſuit.

VI. Novam non eſſe hanc *Scytharum* à *Barbaris* diſtinctionem, qvâ illi his ut ſapientiores & cultiores præferuntur, claris duorum probatæ fidei autorum teſtimoniis comprobat *Salmaſius*. Prius *Herodotus* in Melpomene l. 4. n. 46. ſuppeditat, dum inqvit: Ὁ Πόντος ὁ Εὔξεινος, ἐπ' ὃν ἐστρατεύετο Δαρεῖος, χωρέων πασέων παρέχεται ἔξω τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεα ἀμαθέστατα. Οὔτε γὰρ ἔθνος τῶν ἐντὸς τοῦ Πόντου οὐδὲν ἔχομεν προβαλέσθαι σοφίης πέρι, οὐδὲ ἄνδρα λόγιον οἴδαμεν γενόμενον, πάρεξ τοῦ Σκυθικοῦ ἔθνεος καὶ Ἀναχάρσιος. *Pontus Euxinus in qvem expeditionem ſuſcepit Darius, gentes habet omnium maximè ſtolidas, præter Scythicam. Neq; gentem ullam earum, qvæ intra Pontum ſunt, proferre poſſumus ſapientiâ celebrem, neq; ullum virum novimus ſapientem natum, præter nationem Scythicam & Anacharſim.* Confer qvæ ſtatim eodem loco ſeqvuntur, egregiam enim Scytharum commendationem continent. Alterum illuſtrius adhuc è *Iuſtini Trogo Pompejo* depromit, qvi Scythas hoc elogio ornat l. 2. c. 2. *Qvod Græci longâ ſapientum doctrinâ, præceptisq; Philoſophorum conſeqvi neqveunt, hoc Scythis naturam dare, cultosq; Græcorum mores inculti Barbariæ collatione ſuperari.*

VII. Addi his poſſunt inſignia Scythicæ gentis encomia, qvibus alii fide digni autores eos efferre non dubitant. Etenim *Homerus* Iliad. 13. 6. δικαιοτάτους ἀνθρώπων ipſos appellavit. Conſulatur doctiſſimus ipſius Scholiaſtes *Euſtathius* in h. l. *Strabo* l. 7. Geogr. eorundem temperantiam ac juſtitiam non obſcurè laudat, & Anacharſin de eâdem gente oriundum ob perfectam ſapientiam ac temperantiam in ſeptem Sapientum numerum cooptatum eſſe, poſt Ephorum narrat. Hincq; factum qvod *Iuſtinus* l. 12. c. 2. *gentem innocuam* Scythas vocaverit.

VIII. Im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154

VIII. Imprimis verò eximius in hanc ſententiam apud *Q. Curtium* locus eſt, cujus verba l. 7. c. 8. hæc extant; *Scythis autem non ut cæteris Barbaris rudis & inconditus ſenſus eſt: qvidam eorum ſapientiam capere dicuntur, qvantumcunq́; gens capit ſemper armata.* En manifeſtum inter Scythas ac Barbaros ingeniorum reſpectu diſcrimen. Videri poſſunt præterea eorum laudes non ſpernendæ apud *Horatium* Ode 24. l. 3. *Pomponium Melam* in deſcript: orbis, & alios.

IX. Cum itaqve conſtet celebratam fuiſſe naturalem Scytharum ſolertiam, laudatamq́; in iis non infimam ingenij ac ſapientiæ vim, qvâ reliqvos Barbaros longè antecelluerunt, facilè eapropter dignoſci poterit, qvid Apoſtolus in mente habuerit, dum Scytham Barbaro oppoſuit, idem nimirum qvod loco ſupra citato, cum Ἕλληνες καὶ Βάρβαροι contraverſi ſtatuuntur.

Μόνῳ τῷ Θεῷ δόξα.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-161b 4° 1154